Tho. Egerton Lincoln, pcij. 12d.

DE FVRORIBVS Gallicis, horrenda & indigna Amirallij Castillionei, Nobilium atq; illustrium virorum cæde, scelerata ac inaudita piorum strage passim edita per complures Galliæ ciuitates, sine vllo discrimine generis, sexus, ætatis & conditionis hominum:

Vera & simplex Narratio.

ERNESTO VARAMVNDO
FRISIO AVCTORE.

Vis consilî expers mole ruit sua.

LONDINI,
Ex officina Henrici Bynneman.
1573.

III.

De furoribus Gallicis & cæde Amirallij Narratio.

OPTANDVM ESSET RE-cētium furorum memoriam, & eius carnificinæ, quæ nuper in Gallię oppidis propè omnibus admissa est, ex animis hominum deleri. Tantum enim dedecus, tantáq; genti Gallicæ inusta infamia est, vt pleroſque patriæ iam suæ pudeat, duabus fœdissimis maculis inquinatæ, perfidia & crudelitate, quarum vtra maior fuerit, dici vix potest. Sed quoniam passim iam volitāt libelli scripti ab assentatoribus aulicis & precio conductis, qui res fictas & commentitias impudentissimè pro veris tradunt: debere me posteritati hanc operam existimaui, vt rem quemadmodum gesta est, literis mandarem: quippe cuius cognoscēdæ facultatem cum ex mea ipsius calamitate, tum ex ijs qui magnā illarum trucidationum partem suis ocu-

lis hauſerunt, acceperim.

Anno Chriſtianæ ſalutis 1561. quũ propter multitudinem eorum qui religionem (quam reformatam appellant) amplexi fuerant, periculum eſſe videretur, ne quid in Gallia turbarum accideret, (nam ad id tempus vſitata ſupplicia fuerant, vt qui eam religionem profiteri auderẽt, Bonis omnibus amiſsis regiq; addictis igni cremarentur) procerũ nobilitatísq; poſtulatu, Conuentus omniũ propè ordinum habitus eſt in arce regia Sangermana & Laya vulgò dicta, propè ab vrbe Lutetia: quo in Conuentu, præſente atque auctore Rege Carolo. ix. qui etiam nunc principatum tenet, decretum eſt, ne cui deinceps fraudi eſſet Religionem illam profiteri, vtiq; cœtus & cõciones, illius excrcendæ cauſſa, publicè, ſed tamẽ in oppidorum ſuburbijs habere liceret. Ei Conuentui Franciſcus dux Guiſius è Lotharingis ortus, magnus tum Aulæ Gallicę magiſter nõ interfuit: ſed vbi de

decreto certior factus est, incredibili dolore atq; iracūdia exarsit: paucísq; pòst diebus, quum in Campaniæ oppidulo Vasseio, concio ab illius Religionis cultoribus haberetur, satellitio stipat⁹ impetum in illos fecit, virósq; ac mulieres ad numerum ducentorum trucidauit. Erat in Religiosorum numero (nã hoc nomine deinceps propter vsitatam linguę Gallicæ consuetudinẽ vtemur) Ludouicus Borbonius regio satus sanguine, Condæus ex villæ nomine vulgò dictus, magnæq; propter Regiam agnationem auctoritatis. Itaq; quum Guysius legem illam Regiam vehementissimè oppugnaret, ac planè (quod in ipso erat) euerteret, regníq; trãquillitatem illa lege constitutã perturbaret, Gaspar Collignius regni Amiralius, itemq; Franciscus Andelotus ipsius frater, pedestriũ copiarum magister, cæterique proceres generosi ac nobiles Religionis illius cultores, ad eum certatim de Guysij importuna audacia violentiáque effrenata

quæſtum venerunt. Erat tum in procuratione regni propter ætatem Regis Catarina Medicea, Clementis pontificis fratris filia, & Regis Caroli mater, Florẽtiæ (quæ ciuitas Italiæ eſt) nata. Nam & ſi Gallicæ gentis inſtituto, neque hęreditas neq; adminiſtratio regni fœminis defertur : tamen propter Antonij Nauarrorum regis inertiam, ad quem regia præfectura ptinebat, Medicea regis mater pręter cõſuetudinẽ, in illi⁹ præfecturæ ſocietatem aſcita eſt. Ea Guyſianorum arrogantiam ac ferocitatem verita, principi Condęo manu ſua ſcripſit (extant literę & in Germanorum principũ conuentu Frankfordiano cui Ferdinandus Imperator præerat, decem propè abhinc annis prolatæ ac recitatæ ſunt) vehementerq; ab illo poſtulauit, ne ſe in tantis anguſtijs ac difficultatibus deſereret, ſed & matrem & liberos, id eſt & ſe, & regem : Regisque fratres fidei ac pietati ſuæ commendatos exiſtimaret, ac primo quoque tempore ſaluti commu-

communi consuleret: ita se operæ ab ipso nauatæ memoriam Regis in animo infixuram, vt eam nunquam amitteret. Paucis pòst diebus Guysius non ignarus quantum in Gallia Regium nomen authoritatis habiturum esset, neue priuato potius quàm regio consilio aliquid moliri videretur, socios consiliorum suorum nactus idoneos, perfecit vt Regem in sua potestate haberet. Qua re cognita, multisq; subitò exortis difficultatibus, & magna Gallicæ nobilitatis parte conturbata, Cõdæus de amicorum sententia nonnullas sibi vrbes occupandas præsidijsq; firmãdas existimauit, quòd primi Ciuilis belli initium fuit. Nam Condæus armorum causam afferebat, defensionem edicti Regis quo Reip. salus continebatur, quodque sine certissima Gallicæ gentis pernicie, & nobilitatis interitu abrogari non poterat, propter incredibilem eorum multitudinem, qui indies ad religionis illius cultum accedebant, in quibus qui illustriore

loco nati potẽtia, dignitate & opib⁹ præter cęteros florebãt, ſupplicia & crudelitatem in illius cultores exerceri ſolitam, ſibi præferendam non putabant: ſimul quòd Guyſium aduenam, peregrinum, & ex Lotharingicis ſalebris in Galliam traductum, tantos ſibi ſpiritus tantúmq; in Gallia dominatum ac potentiam ſumere moleſtè ferebant. Eò accedebat Reginę matris ſingulare (vti videbatur) ſtudium in pace conſeruanda, & Guyſianorum furoribus comprimendis, qua opinione conſtat amplius viginti hominum millia vnius illius Reginæ voluntatem ſpectantium, ad religioſorum ſe partes & religionis illius defenſionem aggregaſſe: quippe quæ iam tum regiæ poteſtatis vim obſederat. Factis aliquot prælijs, multíſq; vltro citróq; acceptis incõmodis, & Guyſio interfecto, anno vertente, pax ea conditione facta eſt, vt religioſis integra religionis libertas maneret, cœtúſque & conciones illius exercendæ cauſa certis locis habere liceret.

Valuit

Valuit ea pax, non omnibus tamen locis, ad annos quinque. Nam in pleriſq; oppidis ac præfecturis magiſtratus religioni Romanæ addicti (quos Catholicos vulgò appellant) quibus poterant contumelijs religioſos afficiebant. Itaq; quum Ferdinandus Aluares Toletanus, Albæ Regulus, dux Albanus vulgò dictus, exercitum in Belgas qui contra regis Hiſpani voluntatem religionem reformatam amplexi fuerãt, prope à Gallicæ finibus duceret, regina mater ſex Heluetiorum millia conſcribi, atque in Galliam introduci iuſsit, præſidij cauſa, vt ipſa loquebatur: vt exitus docuit, eo cõſilio vt Condęus, Amirallius cæteríq; religioſi proceres, quibus paratæ inſidiæ fuerant, ſi eas vitarent, ſeſeq; armis tueri ac bello cõtendere vellent, opprimi imparati poſſent. Nam aulici per quos illæ res adminiſtrabantur, ad id tempus Gallis militibus minus confidebant. Multa autem quæ ad illius temporis rationem & renouationem belli pertinent, ad inſti-

tutum noſtrum properanti neceſſariò prætermittẽda ſunt. Quum ad ſex menſes bellum duraſſet, pax ijſdem legibus quas ſuperiùs demõſtrauimus facta eſt, vt colendæ profitendæque religionis reformatæ omnib. poteſtas fieret. Nam hæc vna atque extrema conditio pacis ſemper omnibus bellis fuit: at perpaucis pòſt an diebus an menſibus, facile intellectum eſt, pacem illam doli atq; inſidiarum plenam fuiſſe: pacem deniq; hanc non eſſe, ſed bellum atrociſsimum pacis nomine inuolutũ. Protinus enim vrbes omnes quas religioſi dediderant, occupatæ & præſidijs aduerſariorum militum firmatæ ſunt, præter vnam maritimam in Santonum finibus Rupellam, quæ Rochella vulgò nominatur. Nam oppidani circiter ducentis abhinc annis ea conditione ſeſe in Regis fidem ac poteſtatem commiſerant, ne quos præſidiarios milites inuiti recipere cogerentur. Simul Condæus & Amirallius certiores facti ſunt iterum ſibi inſidias à

Tauan-

Tauannio, capitali homine & facinoroſo (qui nuper Mareſcalcus regni factus eſt) paratas eſſe, quas niſi maturè deuitarent, propediem futurũ vt ab illo circumuenti atque comprehenſi, aduerſariorum crudelitati dederẽtur. His nuncijs acceptis confeſtim Rupellã magnis itineribus contendunt, vnáq; coniuges paruulóſque liberos infantes ſecum deportant, quod tertij acerbiſsimi & calamitoſiſsimi ciuilis belli initium fuit. Erat tum in aula Carolus cardinalis Lotharingus Guyſij ducis (quem primo bello interfectum docuimus) frater cõſanguineus, vnus ex omnibus vaferrimus & callidiſsimus præter cæteros habitus, ſed ingenio diro, immiti, turbulento, vt ne Romæ quidem ferendus videretur. Hunc reformatæ religionis aduerſarium acerbiſsimum atque infeſtiſsimum religioſi prædicabant. Eúmque propter ingenij ſæuitiam præ cæteris horrebant, ciuiliúmque incendiorum omnium facem nominabant.

Is

Is tertij belli principio regi persuadet vt edictum promulget, ne quis vllam religionem præter Romanam siue Pontificiam profiteretur : qui aliam amplecti vellet, in hostium numero haberetur. In illo edicto Lutetię impresso nominatim hæc sententia interiecta est, quæ propter rei nouitatem, simul quòd regio nomini turpissimam periurij ac perfidiæ maculam inurebat, in libellis posterius editis deleta fuit : tametsi Rex compluribus edictis religionis libertatem ante id tempus permisisset, tamen eum semper in animo habuisse vnicam illam Romanã & Pontificiam toto suo regno retinere, retinendámq; ab omnibus curare. Multis vtrinque illatis atque acceptis detrimentis, quum huius tertij belli exitus propter superiorum annorum perfidiã difficilior videretur, regni autem status propter ciuitates exhaustas & infimæ plebis ac rusticanorum hominum inopiam postularet : vt de compositione ageretur, rex ad Amiralliũ legatos misit,

qui

qui ei ſuis verbis nunciarent, pacis ſe & concordiæ rationem tandem aliquando certiſsimam inijſſe, vt coniuncti ambarũ partium exercitus in Belgarum fines aduerſus Albanum, qui recentium in Gallia calamitatum auctor fuerat, ducerentur. Magnas ſe habere aduerſus Hiſpanum regem offenſionum cauſſas, ſed hanc in primis quòd inſulam orbis noui Floridam quæ à Gallis capta ipſius imperio tenebatur, præſidiarijs omnibus repẽtino incurſu interfectis, occupaſſet, itémq; Marchionatum Finalij, cuius incolæ perexiguo antè tempore in regis ſe fidem ac poteſtatem commiſerant, firmiſsimum ciuilis concordiæ vinculum bellum illud externum fore, neque meliorem excogitari rationẽ poſſe, qua ſuperiorum diſcordiarum memoria ſempiterna obliuione deleretur. Ad eam rẽ conficiendam opportuniſsimum eſſe, quod Ludouicus comes Naſſoui° principis Vranij frater in ipſius caſtris biennium iam fuiſſet, cui fuminam rerum

omnium

omnium fidem Amirallius haberet, per eum & ipsius clientes Belgas cæteróſque quos ipsius partibus ſtudere intelligebat, facile perfici posse vt ciuitates aliquot occupari, magnáque belli gerendi facultas ſuppeditari posſet. His reb. auditis vehementer Amirallius perturbatur. Nam & ſide regis fide non dubitabat, tamen multa ſimul in mẽtem veniebant: Cardinalis & cæterorum Guyſianorum potentia, quos omni tempore regis Hiſpani ſtudioſiſsimos fuiſſe conſtabat. nam dux Guyſius Henricum filium, adoleſcẽtem reliquerat, cui regina mater honores oẽs quos pater geſſerat, præter ætatem contráq; maiorũ inſtituta mandarat, tum etiam regiorum conſiliariorum perfidia, quos propter pontificiæ religionis ſtudiũ eidem Hiſpano regi addictiſsimos eſſe, nonnullos etiam magnis ab illo annuis beneficijs affici ſolere, regníq; negocia cum illo communicare cõpertum habebat. His reb⁹ fieri vt quod apud exteras gentes planè in-

credibile

credibile videbatur, eius regis legatus in sanctius Galliæ consilium admitteretur, atq; vti Biragius quidam homo Insuber, & patriæ (vt fertur) proditor, cæterò qui literarum omnium expers, atq; in primis Iuris ciuilis ignarus: tamen propter calliditatem ingenij in tantum honorem poneretur, vt iam Cancellarij munus obiret, remoto ab omni administratione Michaele hospitalio, quo neminem vel prudentiorem vel doctiorẽ, vel patriæ amãtiorem fuisse inter omnes omnium ordinum homines constabat. Eò accedebant aduersariorum calũniæ, quib. præberi ansa videbatur, quasi turbulentũ ingenium Amirallius haberet, neque quietem ferre aut sine tumultu diuti⁹ domi permanere posset. Aduersus ea legati quæ poterãt proferebant, simul tam repentini in regem Hispanum odij causſam hãc afferebant, q; Albenius quidã nuper ex Hispania reuersus, regi & reginæ matri pro certo renũciarat, Philippũ paucis antè mensibus, coniugẽ suã

regis

regis Galli ſororem veneno ſuſtuliſſe, rumoréſque de illa paſsim tota Hiſpania diſſeminaſſe, quos multorũ honores cauſſa, ſilentio præteriri eſt melius. Sed nihil æquè Amiralliũ permouit, vt Ludouici Naſſouij alacritas, qui ſimulatq; de illo regis conſilio certior factus eſt, nihil eorũ quę ad Amiralliũ cohortandum pertinere arbitrabatur prętermiſit. His rebus adductus Amirallius nihil aulicorum perfidiam veritus ad compoſitionẽ animum adiecit, ita tertio ciuili bello finis eſt impoſitus, & pax ijſdem conditionib. quibus ſuperiores facta, vt religionis colendę profitendæq; omnibus poteſtas permitteretur. Paucis pòſt menſibus complures Germaniæ principes religionis reformatæ ſtudioſi, in his tres Electores Palatinus, Saxo, & Brandeburgicus, legatos in Galliam ad regem mittunt, gratulantur de concordia ciuium reconciliata; & quoniam ſtabilẽ ac diuturnam illam eſſe permagni ſua intereſſe iudicabant, pollicentur ſi quis regi ob

eam

eam cauſſam vel in ſuis finibus, vel extra fines negocium facere ac bellum inferre conaretur, ſe ſuóſque clientes ad ipſius defenſionem paratos fore: huic legationi rex primùm verbis, tum libello manu ſua ſubſcripto reſpondit ac fidem dedit, ſe perpetuò pacificatorium edictũ ſuum ſanctiſsimè fideliſsiméque ſeruaturum Quo libẽtius Amirallius ad Belgica conſilia ſeſe traduci paſſus eſt, tametſi reginæ matris ingenium crebrò in memoriam reuocans dicere ſoleret cùm alijs multis, tum præcipuè Thelinio, cui poſtea filiam ſuam in matrimonium dedit, ſibi mulieris illius ingenium verſatile magnopere ſuſpectum eſſe. Nam vbi nos (inquibat) in illum Belgicũ apparatum induxerit, in medio nos curſu deſeret Naſſouius nihilo ſecius ad fratrem ſcribit, communicato cõſilio nuncios ad regem mittunt, ſi velit animum ad negocium Belgicum adijcere, ſeſe breui effecturos vt ſuum erga ipſum ſtudium atque obſeruantiam multis & ma-

gnis officijs perſpiciat: reſcribit rex amantiſsimis verbis, iucundiſsimum ſibi eum nuncium fuiſſe, atq; vtriq; illorum gratias egit. Per id tempus Maximilianus imperator principis Vranij fortunam (vt ipſe loquebatur) miſeratus, cum Hiſpaniæ rege per nuncios agebat, ac iã prope impetrarat, vt principi bona omnia ſua reſtituerentur, ea tamen lege, ne in Belgarum finibus domicilium haberet, ſed alijs in locis ſede ac domicilio cõſtituto, vectigalib. omnibus ſuis frueretur. Qua re ad Galliæ regem perlata, confeſtim nũcios ad principem Vraniæ mittit, ne quid ex ea Cæſaris actione expectaret, fraudem hanc & fallaciam eſſe ea mente ſuſceptam, vt illius delectum in Germania inſtitutum abrumperet: ſi ſuam fidem ſequi velit, certiſsimum ſe illi ſubſidium ad ſuam dignitatem recuperandam prębiturum. His Caroli pollicitationibus Vranius inductus, delectus ſuos ſuſtinere, & quantumuis graues ſumptus tantiſper tolerare ſtatuit,

dum

dum quæ ad bellum illud pertinebant pararentur. Interea Ludouicus ad regẽ permutato habitu Lutetiam proficiscitur: quũ anni tempus minus iam ad exercitus conducendos idoneum videretur, quòd hyems ſuberat, de communi conſilio res in proximam æſtatem reijcitur. Interea qui maritimis Vranij copijs præerant, crebrò in Hiſpanos atque in Luſitanos graſſabantur, quáſque cœperant naues ad Rupellæ portum (quæ in Condianorũ poteſtate tum erat) appellebant, ibíque prædam expoſitam oppidanis cæteríſque Gallis mercatoribus diuendebant: qua de re frequenter legatus Hiſpanienſis in regio ſanctiore conſilio queſtus eſt. Et quum ad id conſilium conducere videretur, vt Elizabetha Angliæ regina in fœderis ſocietatem aſciſceretur, Rex Amirallio negocium eius rei adminiſtrandæ commiſit. Nam ſuperioribus menſibus blandiſsimis literis à rege in aulam accerſitus, honorificentiſsiméque acceptus

fuerat, qui ne de ſuis aduerſarijs diffidē-
di aut ſecus de regis aut reginæ matris a-
nimo ſuſpicandi occaſionem haberet,
primum Guyſiani omnes conſulto ex
aula exceſſerunt: tum rex Amirallio po-
teſtatem fecit, quem vellet comitatum,
& quibus cum armis vellet ſecum addu-
cendi: & quod præter cæteros Coſſæo
regni Mareſcalco confidere putabatur,
rex illum Amirallio præſto eſſe, præſi-
diúmq; ſuo nomine ſiquid op⁹ eſſet fer-
re imperauit. Anglici fœderis negotium
Amirallius ita diligenter induſtriéq; cō-
fecit, vt non multo tempore interiecto,
miſsis vltrò & citrò legatis data acce-
ptáque fide & iureiurādo vtrinq; inter-
poſito ſancitum fuerit. De alijs præterea
ſocietatibus atque amicitijs conciliandis
quæ ad Belgicum illud inſtitutum con-
ducere videbantur, idem Amirallius re-
gis iuſſu ac nomine agebat, eáque nego-
cia propè iam ad exitū perdúxerat. fœ-
derum autem illorum prima ſemper &
ſumma lex erat, vt religionis libertas
maneret,

maneret, vtqúe rex edictum illud ſuum pacificatorium diligentiſsimè ſanctiſsiméque conſeruaret. Etſi hæc ſecretò geri videbantur, tamen Biragij procancellarij literis (de quo ſuprà mentionem fecimus) itémq; Moruillerij, quem, propter maciem hypocriticam, pueri vulgò Chimeram aulicam appellant, & Cardinalis Peluei, quo nō alius ad proditionem vel excogitādam, vel adminiſtrandam aptior habetur, ad Pontificē Rom. perlata ſunt: qui de Cardinalium conſilio protinus vnū ex ipſorum numero, Alexandrinū ſæuiſsima hyeme in Galliam cum his mandatis miſit, vt Regem in fœderis Tridentini ſocietatem adduceret. Cuius ptimum ac ſummum caput erat, vt iunctis fœderatorum copijs, bellum Turcis & hæreticis inferretur: cùm hæreticorum nomine principes omnes, qui reformatæ religionis cultum in ſuis finibus permittūt, intelligātur. Alexandrinus honorificè in aula exceptus, re tamē infecta dimiſſus eſt: ita enim vulgò

ferebãtur, ac passim tota Gallia creditũ est: quamuis ipse in occulto hilarior alacriórque ad Pontificem redire videbatur, dixisséq; aliquoties ferebatur, eiusmodi se à Rege responsum tulisse, quod in vulgus efferri opus non esset: sibi quidem à Rege & Regina matre abundè satisfactum fuisse. Quũ ad illud Belgicum negocium peropportunum videretur naues aliquot in mare Britannicum mittere, quibus si quid subsidij Albano ex Hispania in Belgas mitteretur, intercludi posset, ei rei Strosius & Baroguardius præfecti sunt, quibus Rex mandauit vt naues aliquot Burdegalæ & Rupellæ armatas atq; instructas, ex nauali-bus producerẽt, & quæ ad vsum earum nauiũ pertinerent, maturè prouiderent. Eo apparatu legatus Hispanienſis permotus crebras Regis sui nomine querelas ad consilium regium deferebat: neque interea responsum vllum aliud auferebat, nisi verisimile hoc Regi non videri: nuncios eum Burdegalam & Rupellam

pellam cum literis ac mandatis missurum, ne qui naualis apparatus fieret: si qui iam factus esset, eius rei quæstio haberetur. Quæ mandata secretò atq; in occulto duobus illis rei maritimæ præfectis data sint, nobis non satis constat. Illud nemini dubium esse debet, mandatum illis fuisse, vt quascunque naues offenderét, quibus Hispani milites in Belgas trásportarentur, in eas impetum facerent, totúmq; illum naualem apparatum aduersus Hispanum regem & Albanum institutum fuisse: quin etiam Amirallium per id tempus mandatum à rege accepisse, vt in insulam noui orbis Perusam auri præter cæteras feracem (quá Hispanus tenet) exploratores mitteret, si quid fortè in illa occupanda conari aut efficere posset: quæ res nobili cuidam ex Amirallij clientela commissa est, qui cum Lusitano nauigationum illarum peritissimo (quem ei Amirallius regis iussu adiunxerat) eò profectus, neque dum reuersus est. Iam verò dici

non poteſt, quot & quanta eo tempore amiciſsimi animi ſigna rex Amirallio itémq; comiti Rupifocaldio, & Thelligenio reliquíſq; religioſæ nobilitatis præcipuis daret. Primùm quæ ſuperioribus bellis in Amirallij & Andeloti villis atq; arcibus erepta fuerant, rex cõquiri, eíſq; reſtitui iubebat, Si quos præterea vel Amirallio charos atque acceptos, vel ſuperioribus bellis virtutis laudem egregiá adeptos intelligebat, hos beneficijs ac præmijs afficiebat. Ipſi Amirallio die quodam ad ſarcienda ſuperiorum calamitatum detrimenta centena libellarum millia de ſuo fiſco adnumerari iuſsit. Quum ipſius frater cardinalis Caſtilionius magnis & opulẽtis ſacerdotijs oneratus è vita exceſsiſſet, Rex ei vnius anni fructus integros attribuit. Quinetiam Philiberto Subaudiæ duci literas dedit, gratiſsimũ ſibi fore non modò ſi mitius cum ijs ageret, qui ſuperioribus bellis ſubſidio religioſis venerant, verũetiam ſi in alios oẽs religionis eius cultores, quos

in

in ſuis finib. haberet, clemẽtia & mãſue-
tudine vteretur. Iam verò quum vete-
res inimicitiæ inter Guyſianos & Ami-
rallium intercederent, ex quibus conten-
tiones Galliæ regno periculoſæ naſcitu-
ræ videbantur, Rex vtriq; ſuis verbis de-
nunciari iuſsit, vt illas inimicitias ſua &
reipub. cauſa deponerent: formulámq;
illis reconciliationis & concordiæ præ-
ſcripſit, cuius ſex ferè antè annis iacta
fundamenta fuerant in vrbe Molinio,
vbi Rex ſummis quibuſq; regni proce-
rib. adhibitis, re conſulta & deliberata,
pronunciauit Amiralliũ Guyſianæ cæ-
dis expertem videri, cuius ab adoleſcen-
te Guyſio eiuſq; propinquis inſimulaba-
tur, eiq; cõtrouerſiæ rex de conſilij ſen-
tentia finem impoſuerat. Pręterea Caro-
lus cardinalis Lotharingus (quẽ ſupe-
riorum omniũ bellorum architectum
fuiſſe diximus) vt omnẽ nouorum con-
ſiliorum ſuſpitionem tolleret, Romam
profectꝰ erat, vnaq; per familiarem ſuũ
cardinalem recens creatum, vaferrimũ

& callidiſsimũ imprimis habitum, per cauſſam Pontificis in demortui locum eligendi deduxerat. Sed nullm maius ac certius pacis & tranquillitatis publicę documentum fuit, q̃ quòd Rex ſororem ſuam Margaretam principi Henrico reginæ Nauarrorum filio, qui religionis cauſſam nouiſsimo bello defenderat, exercituiq; præfuerat, nuptũ locare inſtituit: quod arctiſsimum eſſe ciuilis concordiæ vinculum, & ſuæ erga religioſos beneuolentiæ certiſsimum teſtimonium fore prædicabat. Quinetiã quòd princeps Henricus religione impediri dicebatur, ne Margaretam à ſua religione alienam, catholicam, & Romanis ritib. deditã in matrimonio haberet, Rex legib. Pontificijs eam ſe ſoluturum dixit, aulicíſq; omnib. ſummè reclamãtibus, ei permiſit, vt omiſsis ceremonijs in veſtibulo fani Pariſienſis, certa formula religionis reformatæ miniſtris quibuſdam non improbata, matrimonium illud celebraretur: quæ res

fama

fama & literis per omnem terrarum orbem celebrata, dici non potest q̃ ſecuros Religioſorum animos reddiderit, quantopere metum ſuſpicionéſque omnes ex illorum animis expulerit, quãta de Regis erga ſe beneuolentia fiduciam illis attulerit, quanta deniq; principes exteros & ciuitates eidẽ religioni deditas lætitia affecerit. Sed Amirallij animũ multò magis cõfirmabat epiſtola regis manu ſubſcripta & obſignata, quã per id tẽpus Thellignius attulerat: quæcunq; Amirallius Belgici inſtituti cauſſa faceret, ea ſe quaſi ſuo mandato facta comprobaturum, ratáque habiturum. Per id tempus Ludouicus Naſſouius vnà cum Ioanna Nauarrorum regina religionis ſtudioſiſsima, ad aulam Gallicam proficiſcitur. Inito inter regem Carolum & Vranium fœdere, literis pactiones mandantur. Erant nuptiæ in vrbem Lutetiam conſtitutæ: qua de cauſa Nauarrorum regina eò ſe paucis illis diebus contulerat, vt quæ ad nup-

nuptiarum apparatum pertinerent, prouideret. Ob eandem cauſſam rex Cauānium hominem acris ingenij (quem propter Amirallij grætiam in ſummum honorem extulerat) ad eũ miſit, vti Lutetiam, cũ eiuſdem apparatus, tùm verò Belgici negotij cauſſa, præiret, ſeſéque paucis intermiſsis diebus ſubſecuturũ confirmaret: nihil eſſe iam quod Pariſienſium minas & inſanias metueret. Nam quòd ea Ciuitas ſuperſtitionibus præ cæteris dedita eſt, & ſeditioſis monachorum concionibus quotidie ad ſæuitiã incitatur, difficile dictu eſt, quàm acerbo odio & Amirallium & religionis cultores proſequeretur. Eò accedebat ægritudo, quam ſuperioribus menſibus acceperat, ex cruce quadam lapidea, inaurata, pyramidis inſtar facta, & Gaſtinia vulgò dicta: cuius euerſionẽ Amirallius à rege incredibili contentione efflagitarat. Nam quod in medio belli ardore ad religioſi cuiuſdam contumeliam poſita fuerat, monimẽtum illud ciuiliũ diſſi-

diſsidiorum, paci atque concordiæ aduerſarium eſſe demõſtrabat. Huius Pariſienſium capitalis in Amirallium odij rex non ignarus, literas ad Marcellum mercatorum præfectum (quæ Lutetiæ ſumma dignitas habetur) dederat, grauiterque interminatus erat, ſi quid motus aut turbarum propter Amirallij aduentum oriretur. In eandem ſententiam Henricus dux Andicus, Regis frater itemque Regina mater literas eidem Marcello cæteriſque Pariſienſib. magiſtratib. dederant vt nulla iam planè Amirallio timoris aut diffidentiæ occaſio relicta videretur: pauciſque item pòſt dieb. Rex Briqmaldum magnæ virtutis & exiſtimationis virum, cum ijſdem mandatis ad Amirallium mittit, Belgicum negocium commodè adminiſtrari ſine ipſius præſentia non poſſe. His tot rebus adductus Amirallius, plenus ſpei bonæ atque animi Lutetiam proficiſci ſtatuit: quo quum veniſſet, atque à Rege & ipſius fratribus, & Regina matre honorifi-

norificè comiterq; exceptus esset, orto inter ipsos de Belgico apparatu sermone multis verbis Regi demonstrat, Ducem Albanum magnas copias cogere, exercitumq; cõparare: si Rex suum animũ dissimulare vellet, fore vt multi tardiores se ac segniores præberent: magnas iã rerum bene gerẽdarũ facultates dari, quas si de manibus dimittat, non facilè postea recuperaturum. Itaq; optimũ esse factu, vt temporis oportunitate vteretur. Nõ multis antè diebus Ludouicus Nassouius in Belgarum fines clàm profectus comites itineris consiliorũq; socios sibi tres Gallos summè apud Amirallium auctoritatis asciuerat, Saucurtium, la Noüm & Genlisium, quibus Rex negotiũ dederat, vt viderent si qua ratione vrbes aliquot regno suo finitimas tentare atq; occupare possent. Illi compluribus alijs nobilibus in societatẽ adscitis, celeriter in Belgas proficiscũtur inscio & imprudente Amirallio: qui vbi subitam illorum profectionem cognouit,

nouit, scripsit se vehemẽter illorum cõ-
silium admirari : scire se nullas copias
ante dies quadraginta comparari posse:
viderent ne quid festinantius agerent,
néue consilia sua, quæ nondum matura
videbantur præcipitarẽt. Nassouius pa-
triæ conspectu & desiderio inflãmatus,
mutabilitatémq; Regis veritus, Valen-
tinianas primùm de improuiso adori-
tur: sed ab Hispanis militibus, qui arcem
præsidio tenebant, depulsus Montium
celeriter profectus est, oppidũq; natura
munitissimũ rebusq; omnibus ad bellũ
necessarijs instructissimum occupat:
quæ res fama & nuntijs passim in fini-
bus Belgarum peruulgata, & in Galli-
am Germaniamq; perlata, cum omnes
religionis cultores in spem erexit, tum
verò Galli regis animum palàm atque
apertè iam indicasse ac patefecisse vi-
debatur . Eò accessit quòd Genlisius
paucis pòst diebus Lutetiam reuersus,
vbi rem omnem Regi , quemadmo-
dum gesta erat, exposuisset, facilè ab eo
impe-

impetrauit vt ipſius voluntate ſibi liceret copias aliquot peditum & equitum Gallorum conſcribere, & Montianis ſubſidio ducere. Verùm in itinere quum in Belgarum fines ingreſſus eſſet, numerũqúe peditum ad quatuor millium, equitum circiter quadringentorum haberet, ab Albano per inſidias circumuenti & magna ex parte profligati ſunt: id quod Guiſianorum opera factum conſtabat, qui quotidianis nuncijs ac literis Albanum de illorum conſilijs & apparatu certiorem faciebant. Quam illorum perfidiam complures etiam Romanæ religionis ſtudioſiſsimi indigniſsimè tulerunt, propterea quòd in eum ſe numerum quamplurimi eidem religioni addicti aggregauerant. Hoc incommodo, & Valentianæ vrbis liberatione Regis animus vehementiùs conturbatus videbatur. Metuebat enim ne ſua conſilia Hiſpano regi enunciata, tandem inimicitiarum & bellorum cauſſam aliquam afferrẽt: quanquam vbi recordari cœperat

mag-

cœperat magnam ſuorum conſiliorum partem ad Albanum perlatam eſſe, ſæpenumero de ſuo animo aperiendo, & bello apertè inferendo cogitabat. Sed illum ab hoc conſilio certi homines abduxerunt, quos Amirallius multò antè id facturos opinione pręceperat. Huic tamẽ poteſtatẽ facit, quæcunq; ad principis Vranij inſtitutum adiuuãdũ pertinerẽt, quãtúmq; poſſet ſeu peditũ ſeu equitũ ſubſidium, ad exercitum, quem Vranius in Germania cõparauerat, mittendi. Quũ Amirallius ea de cauſa petijſſet, vt ſibi liceret triginta cataphractorũ equitũ turmas & totidẽ cohortes cogere, nullo negotio impetrauit. Ad illorũ peditũ ſtipẽdiũ pecunia opus erat: rogatu Amirallij Rex Theſaurarium ad ſe ſuum accerſit: ei mandat, vt Amirallio pecuniæ quantum ſatis eſſe videretur, curet, Vetat ne numerationis cauſæ, Theſaurariorum inſtituto, ſubſcribantur: tantum hac formula vtatur: Sũma hæc pecuniæ Amirallio numerata

eſt illo die, Regis mãdatu, certis de cauſis, quas Rex aſcribi vetuit: eíq; libello Rex ſua manu ſubſcribebat. Simul Rex ſuo apud Belgas legato Monducto literas dedit, vt operã omnẽ in ijs, qui Genliſiano prælio capti fuerant, liberandis nauaret: quod mandatum Monducetus ſumma fide ac diligentia confeciſſe dicebatur. Non multis antè diebus Ioanna Nauarrorum regina (de qua ſuperius mentionem fecimus) Lutetiæ in aula repentino morbo oppreſſa interijt, annum agens ætatis. xliij. Cum permagna ſuſpicio eſſet, eam veneno extinctã corpuſq; à medicis ob eam cauſſam inciſum eſſet, nulla tum veneni ſigna reperta ſunt. Verùm aliquanto poſt A.P. indicio compertũ eſt, eam venenatis odoribus affectam, quib. delibutæ chirothecæ fuerant à Renato vnguentario Regio, Italo: qui Lutetiæ tabernam habet in ponte ſancti Michaelis propter Palatiũ: quòd à medicis qui caput non inciderunt, neque cerebrum inſpexerunt,

runt, animaduerti non potuit. Hunc eundem constat superioribus annis pomum odoriferum venenatum Ludouico Principi Condæo eadem de causa obtulisse, quòd cùm princeps chirurgo suo, cui Crasso nomen est, reliquisset, Crassus odore delectatus, ita sensim affectus intumuit, vt parum ab interitu abfuerit. Eius morte regnum ad principem Henricum ipsius filium, cui Regis sororem pactam ac despõsam diximus, redibat. Rebus, vti videbatur, tota Gallia pacatissimis, concordiáq; ordinum omnium constituta, dies illis Nauarricis nuptijs dicta est: quam diẽ omnes qui religioni studebant, eò sibi optabilorem ducebant, quòd Regis animum mirificè in illas propensum animaduerterent: boniq; omnes certissimum illud ciuilis concordiæ pignus ac firmamentum esse statuebant: quũ ex contrario Guysiani, cæteríque publicæ tranquillitatis hostes, magnopere illas horrerẽt. Vbi ea dies venit, nuptiæ regio

apparatu ante fanum Parisiense celebratæ sunt, certáq; verborũ formula ita cõposita, vt à neutrius religione abhorreret, Regis imperio per cardinalem Borbonium Nauarri regis patruũ pronunciata est, matrimoniúmq; summa regis & bonorum omnium gratulatione cõtractum. Sponsa in templum missificationis audiendę caussa magno comitatu pompáq; introducta est. Spõsus interea qui ab illis ceremonijs abhorreret, vnà cum Principe Condæo Hẽrico Ludouici filio & Amirallio, cæteríſq; nobilibus eidem religioni deditis inambulans extra templũ, sponsæ reditum expectabat. Dum hæc Lutetiæ gerũtur, Strossius, quem maritimis copijs præfectum docuimus, Rupellæ oram legens crebrò cẽturiones ac milites è suo numero per speciem coëmendi res necessarias in oppidũ submittebat: ipse interdum eodem accedebat. Idem in altera Galliæ parte, p eos ipsos dies equites cataphracti Gonzagæ ducis Niuernensis faciebãt

proximè

proximè oppidum Charitũ, quæ Charitas vulgò nominatur, & in flumine Ligeri pontem habet, atq; in religiosorum potestate, propter magnum eorũ numerum, ad id tempus permanserat. Hæc turma ex eorum equitũ numero est, quos rex in singulis prouincijs alere consueuit: quorum pleriq; sunt Itali ducis sui Ludouici Gonzagæ populares, cui regina mater ducis Niuernensis filiam & hæredem in matrimonio collocarat. Petebãt ab oppidanis vt Transuectionem (quam Monstram appellãt) obire in eo oppido liceat: eius rei se posse potestatem à Rege accepisse, literásq; regias proferebant. Lugduni autẽ præfectus vrbi omnium eorum qui religionem profitebantur, censum haberi, eorúmq; nomina in libello perscripta sibi afferri iussit: qui libellus aliquanto pòst, ex euentu, Sanguineus appellatus est. Confectis Lutetiæ nuptijs, quod tempus sibi Amirallius domum suam redeundi constituerat, de suo discessu cum

Rege colloquitur. Tantus autem ludorum erat apparatus, tanta conuiuiorum ac ſpectaculorum magnificentia, tantũ, que Regis in res illas ludicras ſtudium, vt nõ modò ad grauiora negotia, ſed ne ad ſomnum quidem capiendum ſatis temporis haberet. Nam in aula Gallica choreæ, ſaltationes, theatrales ludi, quibus Rex impenſiùs delectatur, plerunque noctu fiunt: quodque diei tempus ad conſilium habendum & res adminiſtrandas opportunum eſt, id propter nocturnas bacchationes neceſſariò in ſomnis conſumitur. Tanta porrò virorum ac mulierum, quæ in reginæ matris Gynæcæo ſunt, familiaritas, tantáque iocandi & colloquendi licentia eſt, vt nationib⁹ cæteris, incredibilis, omnibus bonis, parum ad tuendam nobilium virginum pudicitiam opportuna videatur: Quinetiam ſi quis ex Italia leno, ſi qua lena, ſi quis fœdæ ac ſpurcæ libidinis magiſter eò accedat, mirificos ſibi perexiguo tempore fauores conciliat:

tanta

tanta autem Italorũ passim tota Gallia, præsertim in aula post regni procurationem reginæ matri commissam, multitudo esse cœpit, vt nonnulli eam Italogalliam, alij Coloniam, alij Colluuiem Italicam appellent. His aulicis insanijs fiebat, vt Amirallius à Regis colloquio & grauioribus negotijs tractandis prohiberetur. Verùm vbi qui ab Ecclesijs reformatis missi ad aulam fuerant questum de iniurijs, quibus plerique religiosi passim afficiebantur, Amirallium de discessu cogitare intellexerunt, celeriter suos ad illum libellos postulatáq; deferunt: orãt ne priùs ex aula decedat, quã Ecclesiarum causam egerit, earúmque postulata Regi eiusq; cõsiliarijs detulerit. Hac de causa statuit Amirallius tantisper suã discessionem differre, dum sibi de illis postulatis in senatu regis agere liceret. Nam rex operam se illis rebus propediem daturum, atque in consilio affuturum promiserat. Ad eam moram negotium aliud accedebat. Debebantur

Germanis equitibus, qui nouiſsimo bello pro religionis partibus pugnarãt, ſtipendij nomine magnæ pecuniæ: quam rẽ Amirallius incredibili ſtudio & ſollicitudine animi procurabat. Omnibus his de rebus Amirallius, data facultate (vti deliberauerat) ad ſanctius Regium conſilium retulit, Auguſti menſis die xxij. qui fuit quintus à nuptijs Nauarricis dies, multũq; temporis in actione illa cõſumpſit. Sub meridiem cum è Senatu domum, magno nobilium comitatu reuerteretur, ecce tibi Sclopetarius quidam è proximarum ædium feneſtra vtrunq; Amirallij brachium glandibus plumbeis tranſfigit. Vbi ſe Amirallius vulneratum ſentit, nihil perturbatus, ſed eodem quo ſolebat vultu, Per illam, inquit, feneſtram hoc factum eſt. Videte quínã in illis ædibus ſint: quod tandem iſtud flagitiũ eſt? Tũ nobilem quẽdam è ſuo comitatu ad Regem mittit, qui hoc ei nunciet. Rex per id tempus parua pila cum Guyſio exercebatur: qui

ſimul

ſimulatq; de Amirallij vulnere audiuit, admodum, vt videbatur, commotus, reticulum quo ludebat, in terram abiecit, Deúmque ſuo more deteſtans, Nunquámne, inquit, mihi pace frui licebit? ſimúlque ludum abiecit. & Nauarreno affine ſuo ad ſe accerſito, in arcem ſe ſuam recepit. Nobiles qui cum Amirallio vnà erant, impetum in ædes, vnde vulneratus fuerat, faciunt: ibi mulierculam vnicam reperiunt ædium illarum cuſtodem, ac paulo pòſt puerum, eius qui vulnus inflixerat, ſeruulum: ſimul fiſtulam ferream in menſa eius conclauis, vnde auditus ictus fuerat, deprehendunt: Sclopetarium non reperiunt: celeriter enim per poſticum diffugerat, atque aſcenſo equo, quem pro foribus frenatum habuerat, magno curſu ad portam Antonianam contenderat, vbi recentem equum, ſi fortè opus eſſet, diſpoſitum habebat: alterum etiam ad portam Marcellinam. Tum iuſſu Regis complures vrbem egreſsi admiſsis

equis in omnes partes, illius perſequendi cauſſa contenderunt: neque tamen illum in deuia loca delatum, & iam in arcem quandam receptum aſſequi potuerunt. Poſtulatu Nauarreni & Condæi, cæterorúmque rogatu, Rex continuò facinoris illius quæſtionem decreuit: cuius rei negocium tribus è parlamento Pariſienſi delectis mandauit, Thuano & Morſantio prætoribus, & Violæo ſenatori. Primùm intelligitur ædes illas eſſe ſacerdotis cuiuſdam Canonici Sangermani, cui nomen eſt Villemuro, qui ducem Guiſium primis literis ab ineunte ætate imbuerat, perpetuóque in ipſius clientela permanſerat. Tum mulier, quam in ijs repertam docuimus, comprehenſa atque ad illos perducta dixit, ſuperioribus proximis diebus veniſſe ad ſe Challeium quondam Guiſianæ, nunc Regiæ aulæ, magiſtrum, eiqúe præcepiſſe vt hominem illum, qui vulnus inflixerat, liberaliter acciperet, eiqúe cubiculum

culum & lectum, quo vti Villemurus soleret, attribueret: eius enim amicum ac perfamiliarem esse, gratissimumque illi hoc futurum: nomen Sclopetarij diligenter cælatum est. Nonnulli Manreuetium nominabant, qui Mouium, fortissimum & summæ virtutis virum, præpositum suum tertio ciuili bello perfidiosè interfecerat, simulque in hostium castra perfugerat. Sed plerique Bondotum quendam ex eorum numero, qui Regij sagittarij vulgò appellantur, proferebant. Mulieris confessione ad Regem perlata, continuò Rex Nanssеium custodiæ suæ magistrum ad se accersit. Mandat vt Challeium comprehendat, ad seque adducat. Challeius simulatque scorpionis ictum audierat, in Luparam arcem regiam confugerat, seseque in Guisij cubiculum receperat, vnde mandati regij certior factus, continuò se subduxerat. Quum de ipsius discessu Nanssеius esset admonitus, respondit illum esse hominem

spectatæ

ſpectatæ nobilitatis: non eſſe dubitandum, quin vbi opus eſſet, ſeſe Regi & magiſtratibus ſiſteret. Dum hæc geruntur, & Amirallio vulnera obligantur, Thellignius iuſſu ipſius ad regem proficiſcitur, demiſiſsimè illum ſoceri verbis orat ne grauetur ad ipſum accedere: dubiam ipſius ſalutem videri: habere quædam quæ ad illius ſalutem magnopere pertinerent, quę certò ſciat neminem ex ijs qui in ipſius regno viuunt, illi renunciare audere. Reſpondit rex liberaliter, ſe non grauatè ad illum iturum, breuíque ſpacio interiecto iter ingreditur: regina mater ei ſe comitẽ adiunxit, vnáq; dux Andicus, dux Monpenſerius eccleſiæ Romanæ deuotiſsimus cliens, Comes Rhetius reginæ matris familiariſsimus, Chauignius & Entragnius, qui poſtea ſigniferi in Carnificina Pariſienſi fuerunt. Vbi rex Amirallium benignè, vt ſolebat, ſalutaſſet, déque vulnere & valetudine comiter interrogaſſet, reſpondiſſétque Amirallius ita placido

&

& ſedato vultu, vt omnibus qui aderãt, admirabilis eius moderatio & patientia videretur: tum rex permoto, vti videbatur, animo, Tibi (inquit) mi Amiralli plaga, mihi contumelia impoſita eſt: at ego (Dei mortem conteſtans) iuro me & plagam & contumeliam ita ſeuerè vindicaturum, vt nunquam ex animis hominum ea memoria deleatur. Simul quæſiuit ſatíſne ipſi probarentur delecti Iudices, quibus habendæ quæſtionis negocium commiſerat? reſpondit Amirallius, non poſſe ſibi non magnopere probari, qui Maieſtati ipſius probati eſſent: rogare tamen, ſi ei videatur, vt Cauannius in illorum conſilium admitteretur, quanquam nõ eſſe difficilem eius facinoris inueſtigationem: neque enim dubium eſſe quin à duce Guiſio beneficium illud ſibi obueniſſet: cuius vltionem quidem Deo permittebat: tantùm ab ipſius Maieſtate regia ſuppliciter ac demiſsè petebat, vt ea de re quæſtio haberetur. reſpondit Rex, magnæ id ſibi

curæ

curæ futurum, ac nihilo lentiùs iniuriã illam vindicaturum, quàm si sibimetipsi facta esset. Tum semotis paulisper Regijs fratribus, eorumqúe matre, Amirallius, vt ex eo postea cognitũ est, monere Regem cœpit, vt eorum quæ sæpenumero ab se audisset de nefarijs quorundam consilijs, meminisse vellet, grauem se plagam accepisse, sed nihilo minorem illum manere: iampridem paratas vitæ ipsius insidias, quas, si saperet, maturè deuitaret. Cæterùm vbi ex hac vita Deus illum ad se recepisset, sibi non esse dubium, quin à plerisque inuidis & maleuolis existimatio sua in varias calumnias propter superiora bella vocetur: sed disidiorum auctores sæpe Regi demonstratos, corúmque causas explicatas: Deum se testem habere animi erga Regem & rempub. fidelissimi: neque quicquam sibi vnquam charius patria & communi salute fuisse. Vbi Rex ad ea quæ visum est respondit, tum sublata voce magnopere illum hortatus est,

vt

vt se in arcem Luparam deportari pateretur : periculum esse ne qua per plebem concitatam seditio, néue quis motus in ciuitate insana & turbulenta nasceretur. Hæc regis oratio quorsum pertineret, nondum intelligi poterat. Nam etsi stolidissima & insanissima plebs Parisiensis semper præter cæteras habita est, tamen non modò regis aduentu ac præsentia, verumetiam sola nominis pronunciatione facillimè celerrimèque sedatur. Itaque Amirallius Regi multis verbis gratias egit, caussamqúe attulit, medicorum consilium, qui veriti ne succussu augeretur dolor, negabant eum loco mouendum esse. Tum comes Rhetius ad nobiles quosdam Amirallij familiares cõuersus, Vellem (inquit) Amirallius consilio Regis obtemperaret. Nam periculum est ne quis in vrbe motus eiusmodi oriatur, vt eum Rex comprimere facilè non possit. Qua re cognita, etsi quorsum illud cõsilium pertineret, nondum

nondum quiſquam ſuſpicabatur: viſum eſt tamen Amirallio atque ipſius amicis poſtulandum à Rege vt præſidiarios aliquot milites è ſuorum numero ipſi attribueret. reſpondit rex, ſibi conſiliũ illud magnopere probari, ac planè in animo habere Amirallij ſalutem non ſecus ac ſuam tueri: denique Amirallium ſe tanquam oculi ſui pupillam cõſeruaturum: ſibi admirandam illius viri conſtantiã & fortitudinem eſſe viſam, neq; vnquam ante id tempus credidiſſe tantam animi magnitudinem in mortalem quẽquam poſſe cadere. Simul dux Andicus regis frater Coſsinio legionis regiæ tribuno mandat, vt manipulares aliquot in ſtatione pro foribus ædium Amirallij diſponat. Hoc Coſsinio non facilè quiſquam vel Amirallij partibus infeſtior vel Guiſianorum ſtudioſior inueniri poterat: quod etiam euentus, vt paulo pòſt intelligetur, demonſtrauit. Addidit præterea dux Andicus videri ſibi è re Amirallij futurum, ſi plures ipſius

ipſius amici & familiares, qui in ſuburbijs diuerſabantur, propius ad ipſum accederent: ſtatimq; metatoribus regijs imperauit, vt quibus in eo vico hoſpitia ſuperioribus diebus aſsignarant, eos illinc migrare iuberent, atque in ipſorum locum amicos Amirallij ſubſtituerent: quo conſilio nullum ad ea quæ pòſt acciderunt, oportunius excogitari potuit. Nam qui ex ſuburbijs diffugere potuiſſent, non modò intra vrbis mœnia, verumetiam intra vnum eumqúe anguſtum vicum circumcluſi tenebantur. Poſtridiè vicorum ſubmagiſtri, qui vulgò Quaternarij dicuntur, cauponas diuerſoriáq; omnia obeunt, eorúmque qui religionem profitebantur nomina, notatis ſingulorum diuerſorijs, in libellis perſcribunt, quos maturè ad eos, à quibus mandatum illud acceperant, deferunt. Pòſt meridiem Regina mater, regem, ducēq; Andicum, Gonzagam, Tauānium, Comitem Rhetium nomine Gondinum in hortos ſuos, qui vul-

gò Tegularij dicũtur, educit. Hunc locum, quòd eſſet à turba remotior, ad extremum conſilium capiendum maximè idoneum iudicabat. Demonſtrat captos iam teneri eos, quibus iam diu inſidiati fuerant: Amirallium vtroq; brachio captum lecto teneri, neq; mouere ſe poſſe: Nauarrum & Condæum hoſpitio in arce exceptos: noctu portas claudi, excubias locari, fugere illinc cõprehenſos non poſſe: ita ducibus captis non eſſe metuẽdum ne qui deinceps ex religioſis tumultuentur: præclaram rei gerendæ facultatem dari. nam ſigniferos omnes intra Lutetiam circumcluſos eſſe, reliquos in alijs oppidis, oẽs inermes atq; imparatos: vix denos hoſtes inter millenos catholicos reperiri: Pariſiẽſes eſſe in armis: hos poſſe cõficere armatorũ delecta ſexaginta millia: vnius horulæ ſpacio hoſtes oẽs è medio tolli, ſtirpémq; ac nomen impiorũ hominũ deleri poſſe: niſi rex oportunitate temporis vtatur, nõ eſſe dubitandum, quin,

si Amirallius valetudinem recuperet, tota Gallia quarto ciuili bello propediẽ exardescat. Probata reginæ sententia: cõsultius tamen videtur, vt Nauarri vitę partim propter ætatem, partim propter affinitatem parcatur. De Condæo deliberatur, placerétne propter ætatem relinqui, an propter paternum nomen interfici: sed Gonzagæ sententia valuit, vt terrore mortis & cruciatus à religione abduceretur. Ita ex consilio disceditur, vt proxima insequẽte nocte sub lucẽ res geratur, totiusq; negotij administratio duci Guysio deferatur. Amirallius certior factus armorum motum fremitúmq; & minas tota vrbe exaudiri, multáq; ad tumultũ pertinentia comparari, mittit, qui hoc suis verbis Regi nunciet. Respondet rex, nihil esse quòd Amirallius metuat, mandatu id suo fieri, non passim sed certis tantùm locis, delectósque abseseesse, qui arma caperent, ne quis in vrbe motus à plebe concitata nasceretur. Vbi Guysius satis

parata omnia iudicauit, Marcellum (de quo ſuperius mentionem fecimus,) ad ſe vocat, eíq; præcipit vt magiſtros vicorum (quos decuriones vocant) in curiam vrbanã (quæ domus ciuitatis vulgò dicitur) aliquanto poſt mediam noctem accerſat: habere ſe à rege mandata quædam noua & ſingularia, quæ ad illos perferri velit. Maturè omnes conueniunt: facit verba nouus mercatorum præfectus Carronius, Guyſianis aliquot ſtipatus, in his Entragnio & Pnygallartius. Dicit regi eſſe in animo ſeditioſos omnes, qui ſuperioribus annis aduerſus Maieſtatem ſuam arma tulerant, de medio tollere, & ſtirpem ſceleratorũ hominum extinguere: peropportunè accidiſſe, vt principes & ſigniferi intra vrbis mœnia quaſi carceribus incluſi tenerentur, ab ijs initium eadem illa nocte factum iri: de reliquis vt idem primo quoq; tẽpore per ſingulas prouincias fieret, regem curaturũ: irruptionis ſignũ non tuba, ſed ſonitu Palatini horolo-

rologij lucem datum iri, quod esse magnis rebus solenne non ignorarent: insignè autem, quo ab reliquis internosci possent, futurum linteolum candidũ leuo brachio alligatum, & crucem albam pileis præfixam: viderent vt maturè animis armísq; parati essent. Guysius interea Centuriones qui custodiæ regiæ præerant Vascones, Gallos, Heluetios, eadem de re certiores facit, eósq; vt parati animo sint hortatur. Aliquanto pòst dux Guysius, vnáq; regis Henrici nothus (Eques vulgò dictus) quos agmen armatorum sequebatur, ad ædes Amirallij proficiscuntur. Has vtraque vici parte Cosinius dispositis sclopetarijs obsessas tenebat. Amirallius de strepitu fremitúq; armorum certior factus, & si vix decem domi haberet, qui arma ferre possent: in cubiculo verò duos chirurgos, concionatorem vnum, & cubicularium vnum aut alterum: terreri tamen nondum potuit, fretus, vt sæpè dictitabat, regis erga se beneuolentia mul-

 tis

tis magnísq; rebus testata: confisus præterea plebem Parisiensem, si suæ insaniæ aduersari regem sentiret, quantumuis concitatam, tamen vt primum Cosinium cũ excubijs pro foribus animaduerteret, quieturam. Simul cõmemorabat Iusiurandum de pace conseruanda toties à rege & ipsius fratrib⁹ eorũq; matre publicè interpositũ, atq; in acta publica relatum: fœdus præterea cum Angliæ regina nuper eandem ob causam factum: pactáq; cũ Vraniæ principe cõuẽta: fidẽ principibus Germanis datã: vrbes aliquot in Belgarũ finib⁹ tẽtatas, alias regis mãdatu captas: nuptias sororis sexto antè die celebratas, quas cruore funestari non pateretur: deniq; nationũ exterarũ & posteritatis iuditiũ: pudorẽ, grauitatẽ, cõstantiãq; regiã, fidẽ publicã & Iurisgentiũ sanctimoniã, quę omnia nefario scelere velle pollui, portenti, ac prodigij simile videretur. Cosinius vbi principes aduentãtes vidit, fores pulsat, quarum custodiæ illum ab Andico du-

ce præfectum diximus: qua de causa vetus prouerbium multi vsurpabant, Præclarum ouiũ custodem, vt dicitur, lupũ. Ingressus nulla ferè difficultate, armatorũ turbam introducit: hos proceres subsequuntur. Quos in primo aditu ac vestibulo Cosinius offendit, hos spiculo, quo armatus venerat, interficit. Quod vbi Amirallius cognouit, confestim è lectulo à suis subleuat⁹, iniecta nocturna toga in pedes surrexit, suósq; hortatur vt saluti suæ fuga consulant, néue amplius de ipso sint solliciti: spiritum se, quem fruendum acceperat, reposcenti Deo libentissimo animo in ipsius manus commendaturum: vim hanc non tam in suam perniciem quàm in Christi cõtumeliam, & tot Ecclesiarum cruciatũ paratã esse, quarum Ecclesiarũ defensionem, piorum omniũ rogatu multis suis periculis & ærumnis sustinuerat. Conscendit interea in superiorem domus partem Germanus quidá Benuesius in familia Guisij educat⁹, cui cardi-

nalis Lotharingus vnã è ſuis nothis filiabus nuptum collocaſſe dicitur, vnáque cum illo Coſsinius Vaſco, Attinius Picardus Aumallij clien ſ & familiaris, qui ſuperiorib⁹ annis Andeloti vitæ inſidiatus fuerat, itémq; Hanfortius Aruernus, omnes ſcutis gladijſque armati ac loricis tecti. Quũ in Amirallij cubiculũ irrupiſſent, tum Benueſius eũ adortus, ſtrictúmq; gladium intentans, Nõ tu (inquit) Amirallius es? Ita vocor, reſpondit ille ſedato & conſtanti vultu, quemadmodum ex illis poſtea cognitũ eſt: tum intentũ in ſe gladium intuens, Adoleſcens, inquit, reſpice ſenectutem & infirmitatẽm hanc meã. at ille (Deũ deteſtans) primò gladiũ in Amirallij pectus defigit, tũ cõtinuo in caput adegit. Atinius autem ictu bombardulæ pectus tranſfixit. Cũ ne hoc quidẽ vulnere Amirallius occumberet, tertiam ei plagam Benueſius in crus inflixit: ita ſemianimis concidit. Quod vbi Guyſius audiuit, qui in area cũ cæteris proceribus

ceribus reſtiterat, magna voce conclamat, Abſoluiſtíne Benueſi? At ille, Abſolui, inquit. Tum Guyſius, Eques noſter (hunc regis Henrici nothum eſſe diximus) niſi oculis viderit, non credet: deijce per feneſtram. Tùm à ſuis comitibus Benueſius adiutus, ſublatum Amirallij corpus per feneſtram abijcit. Cùm ob vulnus in capite acceptum, & os cruore delibutum minus agnoſceretur, Guyſius procumbens, & linteolo ſanguinem abſtergens, Agnoſco, inquit, ille ipſe eſt. Simul ianua cum alijs proceribus egreſſus, ad multitudinẽ armatorum exclamat, Cõmilitones, fortunatum principium habuimus: deinceps ad reliquos pergamus, nam ita Rex iubet. quæ verba identidem magna voce inculcabat: Ita Rex iubet: hæc regia voluntas: hoc illius imperium eſt. Simul cãpanæ Palatinæ pulſu ſignum dari atq; ad arma conclamari iuſsit, pronunciariqúe cõiuratos eſſe in armis, qui Regem interficere conentur. Ac tum Italus quidam

dam è Gonzagæ ſatellitio caput Amirallij abſcidit, & medicaminibus conditum Romam ad Papam & Cardinalem Lotharingum miſit: alij manus amputant: nonnulli pudenda. Tùm baiuli & calones cadauer ita mutilatum & ſanie cruentum per vrbis vias triduo traxerũt, pòſt extra vrbem ad patibulum deportarunt, reſtéq; ex pedibus ſuſpenderunt. Interea procerũ ſatellites in omnia ædium Amirallij cœnacula ruentes, quos vel in lectulis, vel latitantes offendebant, multis illatis vulneribus contrucidabãt. In eo numero fuerunt pueri ingenui Circũpedes ampliſsimo loco nati: fuit etiã Comes Rupifocaldius, qui propter elegantiam ingenij & virtutẽ Henrico regi chariſsimus fuerat, & huic Regi propter eandẽ cauſſam acceptiſsimus eſſe videbatur. Hunc Nanceius, de quo ſuperius diximus, interficere iuſſus erat: ſed cùm propter cognationem & familiaritatem id recuſaſſet, Labergius Aruernus Regi ſe obtulit: ea tamen lege

vt

vt præfecturam equitũ, cui Rupifocaldius præerat, Rex ei mandaret. In eodẽ numero fuit & Thellignius Amirallij gener, adoleſcẽs ſumma ſpe & animi & ingenij præditus: cui Rex multos iam annos tantam beneuolentiam & vultu & verbis oſtenderat, vt nemo apud eum gratioſior haberetur. Hic quum acerbam ſibi eſſe vitam exclamaſſet, quòd Regis fidem tantopere ſemper apud ſocerum cõmendaſſet, oblatam necem recuſare noluit: multíq; alij florentiſsimi iuuenes paſsim toto illo vico interfecti ſunt. Tum procerum ſatellites Coſsinijqúe milites oſtiatim graſſari cœperũt: ſimul ædes Amirallij, cæteræqúe omnes direptę ac depopulatæ ſunt, nihilo ſecius quàm vrbe capta fieri ab incenſis ſpe prædæ militibus conſueuit: multíq; illo latrocinio è mendicis repentè diuites facti ſunt. Nam Guiſius, Monpenſerius, Eques Henrici nothus, Gonzaga, Tauannius, proceréſque alij prædationis & rapinarum præmio multitudinem ad

cædem

cædem & trucidationem excitabant, regíſque hanc eſſe voluntatem magna & clara voce prædicabãt. Ita quantum diei tempus fuit à prima luce ad veſperam, excitata rapinis & latrocinijs multitudo, cruentos gladios intentans, tota vrbe graſſata eſt: ac ne ætate quidem confectis aut mulieribus, infantibúſue abſtinuit: cæſorúmque cadauera per feneſtras gratulandi cauſſa deijciebant, vt nullus ferè vicus, nulla platea non cadaueribus occiſorum conſtrata videretur. Dum hæc in vrbe gerũtur, rex Nauarrenus & princeps Condæus (quos rex in arce ſua Lupara hoſpitio exceperat) mandatu ipſius euocati, atque ad ipſum deducti ſunt. At comites eorum, cubicularij, clientes, pædagogi & nutritij fidem regis magna voce implorantes è cœnaculis deturbati, atque ab Heluetijs ſatellitibus regijs in ipſius regis conſpectu multis vulneribus conciſi ac trucidati ſunt. Sed ex illorum occiſorum numero, nullius æquè vt Pilleſij caſus à multis

multis deploratus est: cuius vtrum maior in colenda religione pietas, an in re militari virtus fuerit, dici non potest.
Itaq; cùm maximam superioribus annis, præsertim ex oppidi Saniandangelici defensione (quod rex obsidione & oppugnatione premebat) rei bellicę gloriam adeptus esset, Regi in primis charus & acceptus videbatur. Hunc & Leránium Odouij filium Nauarrenus regis voluntate (quæ quorsum pertineret nondum intelligi poterat) in conclaui, quod ipsius cubiculum tãgebat, retinuerat, ibíque pernoctare iusserat. Quum aliquantò ante lucem concursum hominum, armorúmque strepitum, clamorésque & trucidationes audissent, celeriter surrexerũt, statimqúe Nanceyus (de quo superius mentionẽ fecimus) ad eos venit, ijsqúe regis verbis denunciat vt in aream descendant, tùm vt gladios deponant, postremò vt ex arce exeant. Pillesius vbi se in militum trucidantium turbam depulsum videt, & occisorum corpora

pora conſpicatur, maxima voce (vt rex exaudire poſſet) fidem regiam conteſtãs, ſimúlque nefariam perfidiam deteſtans, palliũ precioſum, quo tectus erat, prehendit, & cuidam noto ſuo porrigens, En tibi, inquit, à Pilleſio munus: poſthac Pilleſij indigniſsimo caſu perempti memineris. Mi Pilleſi (inquit alter) nõ ſum ex iſtorum numero: de pallio gratiam habeo: iſto nomine non recipiam: oblatúmque pallium recuſauit: ſimúlq; Pilleſius ab vno ex præſidiarijs militibus ſpiculo transfixus occubuit: atque hunc vitæ exitum vir fortiſsimus & florentiſsimus habuit. Tum ipſius corpus in aceruum aliorum impoſitum eſt: quem cùm prætereuntes aſpicerent, milites conclamabant. Ibi ſunt qui impetu in nos facto, regem interficere conati ſunt. Lærannius autem gladio transfixus, quum in reginæ Nauarricæ cubiculum fuga ſe recepiſſet, ab illa tectus, atque ab inſectantium impetu conſeruatus eſt. Huius vitam paulo pòſt à fratre deprecata

cata est : quinetiam medicis suis commẽdato valetudinem simul & vitam restituit. Cũ hæc Lutetiæ gerũtur, Strossius (quem ad Rupellam copijs omnibus accessisse docuimus) magnum militum suorum numerum in oppidum introducit, per causſam conuiuij in castello (quod Catenarium appellant) cũ amicis celebrandi: sed propter oppidanorum suspiciones atque excubias, à quibus suas insidias caueri animaduertit, re infecta discessit. At Charitiani (quos ab equitibus Italis circumuentos demonstrauimus) minus ad oppidi custodiam attenti, sub noctem oppressi, paucísq; pòst diebus trucidati sunt. Postridie illius diei, quibus in locis Lutetię latitantes, inuestigari poterant, carnificina renouabatur. Simul baiuli, reliquíque infimi de plebe ac perditi homines vestimentorum diripiendorũ causſa, occisorum corpora nudabãt, eáque in flumen Sequanam deijciebãt. Rapinarum autem ac depopulationum præmia ferè

ad

ad baiulos & milites omnia redierunt, ad regis ærarium pars nulla aut perexigua. Nam quæstus illi solus obuenit is, qui ex vacantibus (vt loquuntur) officijs, magistratibus ac præfecturis percipi potuit: quorum tamen partem nonnullis aulicis largitus est. Nam Amiralliij præfecturam ad marchionem Villartium detulit: Cancellariam Nauarricã interfecto Frãcurtio repentè ad Henricum Memmium Mallasisium, qui nouissimæ pacis interpres atque internuncius fuerat: Quæsturam thesaurariam interfecto Prunesio ad Villequierium: Præturam, quæ subsidiaria vocatur, interfecto Plateano ad Nullium: reliquas præfecturas consuetudine sua ijs qui præsentem pecuniã afferebant, vendidit. Nam aliquot iam Galliæ regum institutum apud exteras gentes inauditum hoc fuit, vt omnia cõmoda, iura, beneficia regni sui venalia habeant, magistratuúmque omnium & quæsturarũ mercatum palám precio in singulos cõ-

stituto

ſtituto inſtituant: neq; vllus tota ferè Gallia reperitur, qui non apertè prædicet, ſe munus illud ſuũ impenſo precio mercatum eſſe: nõ eſſe mirandum ſi replere rei familiaris lacunam velit. Itaq; tota Gallia ius præſenti pecunia emi ſolet, neq; quantũuis multis factis cędibus quęſtio vlla decernitur, niſi præſens pecunia rabulis & ſcripturarijs oſtentetur. Confecta iam Pariſienſi carnificina, & quadringentis, vt dictũ eſt, ædibus expilatis, cõfeſtim nuncij celeres in omnes regni prouincias, mutatis ad feſtinationem iumentis, dimittũtur, qui regis nomine denũcient, vt Pariſienſe exemplũ reliquæ ciuitates oẽs imitentur, quóſq; apud ſe reformatæ religionis cultores habuerint: eos iugulandos curent. His mandatis incredibile dictu eſt, quanta cum alacritate multò maxima ciuitatũ Galliæ pars obtemperarit. At Rex perfidiæ infamiam (quod credi par eſt) veritus, literas ad Prouinciarum ſuarum rectores dat, celerésque nuncios in An-

gliam, Germaniam, Heluetiã dimittit, qui ſuis verbis nuncient, magnum Lutetiæ motum ſeditionémque accidiſſe, quã ipſe iniquiſsimo animo tulerit: Guiſium plebem concitaſſe, impetumq; armatis hominibus in cohortẽ, quę Amirallio præſidij cauſa attributa fuerat, feciſſe, tum ædes ingreſſum, ipſum vnáq; comites & domeſticos ipſius omnes interfeciſſe: regem ægrè arcem ſuam Luparam, in qua ſe vnà cum matre & fratrib. continebat, ab illis periculis incolumẽ ſeruaſſe: quarũ literarum exemplum poſteri⁹ ſubiectũ eſt. At idem rex potẽtiſsimus & gentium omniũ cõſenſu Chriſtianiſsimus vulgò dictus, biduo poſt in ſenatum (quod Parlamentũ vocant) proficiſcitur, magna comitatu fratrum & principum omniũ ſtipatus. Coactis Senatoribus verba pro tribunali facere incipit: demonſtrat ſe certiorem factum fuiſſe, Amirallium cum aliquot ſuis gregalibus, de ipſo interficiendo coniuraſſe, idem conſilium aduer-

uersus fratres suos, Reginam matrem, regémque Nauarrum inijsse: ob hanc caussam amicis suis imperasse, vt ipsum coniuratósq; omnes de medio tollerent, & aduersariorum insidias anteuerterẽt. Hanc suam testificationem ac denunciationem rex in acta Senatus referri perscribíque imperauit, simulque & per præcones pronunciari & per typographos promulgari, edíque libellum hoc argumento iussit, cędem Amiralłij, gregaliumque ipsius regis imperio factam esse: sic enim Maiestati suæ placuisse, propterea quòd de ipso necando, fratribus ipsius, & Regina matre, & Rege Nauarrorum interficiendis coniurarant: vetare ne deinceps cœtus aut conciones de Religione habeantur.

Audita regis oratione, Christophorus Thuanus, primus illius Parlamẽti prætor, homo leuitate simul & crudelitate insignis, amplissimis verbis regi gratulatus est, quod inimicos suos, quos bello atque armis vincere non potuerat, dolo

atque fallacijs ſuperaſſet: veriſsimúmq; vetus illud Ludouici.xj. Galliarum̃ regis ataui ſui verbum eſſe docuiſſet, qui hanc vnã ſe Latinam ſententiam ſcire dictitabat: Qui neſcit diſsimulare, neſcit regnare. At fiſci aduocatus Pibracius pauca eloquutus, ſummam hãc orationis habuit: & ſi rex cauſſam irarũ iuſtam grauémq; habuerat, tamen clementiæ ac manſuetudini ſuæ magis cõſentaneum videri, finem cædibus & rapinis imponere, neque pati diutius ſine cauſſæ cognitione talia facinora cõmitti: orare vt deinceps iure vti vellet, quod vnicum regnorum atq; imperiorum firmamentum eſſe conſtaret: periculoſum plebi exemplum ad imitandum eſſe datum. Quum in hanc ſententiã Senatuſconſultum rege auctore factũ eſſet, repentè precones & buccinatores tota vrbe dimiſsi ſunt, edictúmq; Regis nomine promulgatum, vt deinceps cædium ac trucidationum finis fieret, atque ab expilationibus & rapinis abſtineretur.

tur. Quo cognito varij passim tota vrbe sermones hominũ, ac pręsertim eruditorũ audiebantur. Nam pleriq; multos se historicos legisse aiebant, sed nihil ex omnium seculorum memoria eiusmodi cognouisse: simul facinus hoc regis cum illo Mithridatis comparabant, qui quõdam in Asia vno nuncio atq; vna literarũ significatione centũ quinquaginta ciuiũ R. millia necari iusserat. Alij cũ illo Petri Arragonij qui octo Gallorũ millia in Sicilia, quã ipso absente occuparãt, trucidarat. Verùm hoc inter illa videri interesse, quòd reges illi in peregrinos & alienigenas sæuierant, Rex in suos ciues non tam potestati quàm fidei suæ cõmissos: illi nulla fide nisi peregrinis illis ipsis data obligati erant, hic recẽti fœdere cum regibus principibusque vicinis ad seruandam quam iurarat pacem astrictus erat: illi nullas ad fallaciam artes Maiestate regia indignas adhibuerant. hic pro illecebra, sororis cõsanguineæ nuptijs abusus fuerat, eiusq;

nuptialem ſtolam ſanguine penè reſperſerat: cuius indignitatis ne poſteritatem quidem omnium ſeculorum immemorem futuram. Alij rurſus diſputabant, etſi truculentum iſtud conſilium, nonnullis aulicis vtile viſum eſſet, tamen non modò dignitatem regiam, verumetiam vniuerſæ gentis exiſtimationem honeſtatémq; cum illa vtilitatis ſpecie pugnare. Ariſtidem Themiſtoclis conſilium de claſſe Lacedęmoniorum clàm incendenda publicè pro concione repudiaſſe, quamuis eo facto frangi Lacedæmoniorum opes neceſſe eſſet. Furium Camillũ proditos ſibi à Ludimagiſtro Faliſcorum principum liberos non recepiſſe, ſed eum nudatum, virgíſq; cædendum pueris reddidiſſe. Pauſaniam memoriæ tradidiſſe Philippi Macedonis poſteros idcirco in tantas calamitates incidiſſe, quòd ille iuſiurandi Religionem & fidem in fœderibus datam negligere ſoleret. Alij veterem duodecim Tabularum legem proferebant, Patronus

tronus si cliẽti fraudem faxit, sacer esto.
Disputabant præterea quam fidem Vassallus domino debeat, eandem hunc illi debere: quibus de caussis & quas ob felonias Vassallus feudum amittit, ijsdem de caufsis dominum ius suũ Vassalitium amittere. Dexteram ab antiquis fidei regiæ pignus dictam: hanc si rex negligeret, nullam cum eo iuris cõmunionem esse, neq; à suis ciuibus, neque ab exteris Regem existimandum. Regias prædicari virtutes has solere, iustitiam, mansuetudinem, clementiam: crudelitatem verò & sæuitiam cum in alijs omnibus, tum præcipuè in regibus vituperari. Laudatum seculis omnibus Scipionem, qui dicere solebat, malle se ciuem vnum seruare, quã mille hostes occidere: quam vocem Antoninus imperator pius cognomento dictus, crebris sermonib⁹ vsurpabat. Turpissimum de adolescente Tiberio elogium illud fuisse, quũ lutũ sanguine maceratum appellaretur. Reges quidẽ ius

vitæ & necis in ſuos ciues habere, ſed non niſi cauſſa cognita & quæſtione cõſtituta. Maius imperium fingi non poſſe quàm fuerit Romæ dictatorũ, penes quos pacis ac belli, vitæ ac necis ſumma poteſtas erat, & ſine prouocatione: ſed ijs ius nõ fuiſſe ſine cauſſa cognita in ciuem quenquam animaduertere. Solos denique latrones ſine iuditio & cauſſæ cognitione vitã hominibus eripere. Cui dubiũ videretur, quin iſta tãta immanitas, tãta Chriſtiani ſanguinis profuſio, fructus ſit execratæ aulicorũ vitæ? Paſſim nunc tota Gallia ſcortationes & vagas libidines ita liberas atq; vſitatas eſſe, vt iam pleræq; Gallicæ mulieres cõmunes propè videantur. Nõ poſſe Deum diutius tã nefandas blaſphemias, tam aſſiduas ſanctiſsimi ſui Numinis execrationes & contumelias tolerare. Eſſe apud exteras gentes incredibile, Gallos catholicos hanc ſibi notam, qua ab alijs internoſcantur, præſcripſiſſe, vt tertio quoque verbo Dei caput, mortem

mortem, sanguinem, ventrem detestentur. Mirandum videri, Regem ipsum ista deierandi & blasphemandi consuetudine tantopere delectari. Hanc contagionem etiam ad rusticos & paganos manasse, quorum nemo iam tria verba sine fœdissima Numinis contumelia & horrenda execratione pronũciare soleat. Quis nefarias libidines, quis tribades aulicas, quis cynædos fœdissimos diuti⁹ ferre possit? Deniq; naturam rerum iam quodãmodo cum Deo de tam diuturna patientia & mansuetudine expostulare: neque terram Galliã diutius ista portenta ferre posse. Iam verò cui probari possit Amirallium coniurationem illam intra Lutetiæ mœnia fecisse? Nam in aula Legio regia perpetuò in statione & excubijs esse solet: arcis vestibulo, Vasconũ, Scotorum & Heluetiorum cohortes dies noctésque præsident: Rex ipse cum antea semper, tùm verò eo tempore vel maximè propter sororis nuptias, magnas principum, procerum ac nobiliũ

copias habebat: Lutetiæ porrò constabat sexaginta armatorum delecta millia trium horarum spacio vocari, cogíque ad arma posse, præsertim aduersus Amirallium, cui infestissimos fuisse Parisiensiũ animos nemo ignorat: præterea nobiles adolescẽtes, qui eò cum Nauarro & Condæo nuptiarum caussa venerant, suásque coniuges, sorores & consanguineas adduxerant, nihil tum nisi de pompa & ludicris certaminibus & vestium atque ornamentorum apparatu cogitabant. Denique vtro tempore factam ab Amirallio coniurationẽ probari possit? priúsne quàm vulnus acciperet? at tum Regem sibi amicissimum habebat, liberalissimum quidem certè & beneficentissimũ sentiebat, neque alium in Gallia benigniorem sperare facilè poterat. An igitur post vulnus acceptum? quasi verò duobus tantis vulneribus acceptis æger, ætate affectus, vtroq; brachio captus, quorũm de altero amputando medici deliberabant, trecentis adolescentibus

bus comitatus, ſexaginta armatorum millia adoriri potuiſſet: aut tam exiguo tempore de tanto ac tam immani facinore conſilium capere. Vix enim ad horas quadraginta, poſt vulnus acceptum vitam perduxit, quo ſpacio interdictum illi à medicis fuerat, vt ab omni colloquio abſtineret. Tum ſi cuius criminis inſimulabatur, an nõ Coſsinio, eiúſque cuſtodiæ commendatus, atque obſeſsis vijs intercluſus, in poteſtate Regis erat, vt ſi videretur, momento temporis in carcerem abduci poſſet? Quid ita quæſtio & iudicium more & legibus & gẽtium iure non conſtituebatur, teſtes iudiciorum more comparabantur? Præterea, vt Amirallius cũ aliquot ambactis & clientibus ſuis coniurarit: tamen cur in reliquos innocentes, cur in matres fa. virginéſq; generoſas ac nobiles, quæ illò nuptiarum cauſſa venerant, ſæuitum eſt? Cur tot prægnantes mulieres contra gentium omnium inſtituta ante partum editum in flumen abiectæ?

Cur

Cur tam multi ætate grandes, multi qui morbo affecti lecto tenebantur, multi togati, senatores, aduocati, procuratores, medici, multi eruditissimi bonarum artium doctores ac magistri (in his Petrus Ramus toto terrarum orbe celebratus) multi denique studiosi adolescentes, inauditi, indicta causa, indemnati supplicio affecti sunt? Præterea, si Amirallius tres fratres sustulisset, cui dubium est, quin omnes prouinciæ, ciuitates, parlamenta, omnes denique omnium generum atque ordinum homines celeriter ad arma ituri fuerint, & nullo negocio religiosos omnes oppidis inclusos oppressuri, iustissimámque cædium ac trucidationum illarum causam apud exteras nationes habituri? Nam quantum ad Nauarrum, quid absurdius fingi potest? Annon Amirallius eum in sua potestate per quadriennium habuerat? Nunquid ipse eandem cum Amirallio religionem colebat? Cui tandem (vt Cassius ille disputare solebat) cui

cui inquam, ex religiosis ea cædes bono atque vtilitati fuisset? nónne catholicis odio erat? Denique Amirallius neminem sibi amiciorem sperare, neque ab vllo alio iniuriæ acceptæ vltionem sperare poterat. Postremò, in eorum ædibus qui interfecti sunt, quænam arma, quæ tela reperta sunt? quibus coniecturis iudices ad facinus inuestigandum duci consueuerunt. Atque hæc quidem homines cordati passim in vrbe Lutetia submurmurabant. Verùm vt ad institutum reuertamur, quo tempore regium illud interdictum Lutetiæ promulgatur, non modò alijs in oppidis similes lanienæ & carnificinæ exercebantur, Aureliæ, Andibus, Auarici, Trecis, Atisioduri: verumetiam in ipsa vrbe Lutetia, in ipsis carceribus, quos ad reorum custodiam institutos constat, si qui superioris diei sæuitiam effugerant, à furente, ruente, turbante populo mactabantur: quo in numero tres præstantes dignitate viri fuerunt,

runt, Moninius ex re militari laudem adeptus, Lomenius regis secretarius, tota Gallia, propter diuturnum in aula ministerium, celebratus, & Chappesius iurisconsultus. 80. pròpe annos natus, & magnum in foro Parisiensi nomen consequutus. Et quoniam Andiũ (quæ ciuitas Andegauensis vulgo dicitur) facta mentio est, nõ prætermittendus Massonij Riuerij casus videtur. Hic Ecclesiæ pastor non modò vitæ sanctimonia, verumetiam ingenij & doctrinæ laude insignis habebatur, primusqúe Parisiensis ecclesiæ fundamenta iecerat. Facto Parisiensis cædis initio, celeriter Monsorellus quidam, hostis religionis teterrimus, in Andium ciuitatem missus est, vt illius cædis nuncios omnes anteuerteret. Is vt primũ in vrbẽ delatus est, in Massonij se domũ deduci iussit. Ibi vxorem eius in ædium vestibulo reperit. Hanc blande salutat, atq; vt Gallorum & præsertim aulicorum consuetudo fert, osculatur: quærit

vbi

vbi vir ipsius sit: respondet, illum in hortulo inambulare: statímque Monsorellum ad illum perducit: qui vbi Massonium comiter complexus est, Scin' tu, inquit, qua gratia huc venerim? vt te regis iussu interficiam, idqúe in hoc ipso temporis vestigio. Nã ita mihi Rex mãdauit, vt ex istis literis cognosces: simulqúe intentam bombardulam ostendit. Massonius nullius se criminis cõscium esse respondit: vnum deprecatus est, vt sibi Dei misericordiam implorandi, & spiritum suum in ipsius manus cõmendandi spacium daretur: quam precationem vbi paucis verbis absoluit, oblatam ab altero necem æquo animo recipiens glande plumbea traiectus occubuit. Vt ad Lutetiam reuertamur: cùm Amirallij corpus, pedibus, vt diximus, è patibulo Parisiensi suspensum certatim à Parisiensibus viseretur, regina mater, vt eo spectaculo suos oculos expleret, eò quoq; proficisci voluit, vnáque Regem & cæteros filios suos deduxit: sed nocte

insequenti corpus à quibusdam sublatum, &, vt creditur, terra cõditum fuit. Per id tempus quum aulici complures admurmurarent, Regem non modò apud exteras gentes, verumetiã apud omnium seculorum posteritatem, infamiã subiturum, Moruillerius (de quo suprà mentionem fecimus) qui inter pragmaticos ac rabularios facilè totius Galliæ princeps numeratur, & Iesuitarum in Galliam introducendorum auctor ac princeps fuit, ad reginam matrem accedit: docet optimum factu videri, vt nõnulli ex ijs qui paucis illis diebus ex fuga & latebris comprehensi fuerant, Dicis caussa, in iudicium adducantur, & more maiorum quæstio de ijs exerceatur, vt delectorum aliquot iudicum sententia damnati, palàm, populo inspectãte, supplicio afficiantur. Adhibentur in consilium Birageus, Limogius, Thuanus, & Belleurius. Non modò Moruillerij sententiam comprobant, verumetiam suadent vt homo fœneus in Amirallij formam

formam habitumq; fictus (nam corpus vt iam dictum est, reperiri non potuit) per vrbis vias à carnifice traheretur, arma vexilláq; ipsius confringerentur: eius memoria damnaretur: arx villæque omnes euerterentur: libri infames, ignobiles atq; intestabiles pronunciarentur: arbores omnes, quæ in saltu essent, ad sex pedum altitudinem cæderentur. Erant in comprehensorũ numero Cauannius libellorum in regia supplicum magister, & Briqmaldus, de quibus suprà commemorauimus. Hic ætatem in bellis veteribus sub Francisco & Henrico regibus transegerat, atq; vsu rei militaris, in primis eorum hominum qui nunc sunt, exercitatus habebatur, iámque ad annum ætatis propè. lxx. accesserat Ijs omnibus in carcerem abductis repentè tortor & carnifex ostenduntur, cruciatúsque & laceratio corporis denũciantur, nisi cõfestim sua manu scribant se consilium de Rege & ipsius fratribus & Regina matre, & Nauarreno

rege interficiendo vnà cum Amirallio inijſſe: exclamant omnes mortem ſe animo æquiſsimo, quando ita Regis voluntas ferret, obituros: tantam carnificinam ferre nõ poſſe: ſupplicitérq; à regia manſuerudine & clementia cruciatũ illum deprecari: fretos tamen miſericordia Dei, ſperare ſe quantumuis magnos dolores potius q̃ tantam in ſe infamiam admittãt, & impudẽtiſsimum illud mẽdacium ac falſum crimen agnoſcant, toleraturos. Qui primi dati iudices fuerunt, auditis illorum clamoribus ac defenſionibus, exiſtimationem hominum veriti, negarũt ſe in illis damnandis certiſsimam infamiã ſubituros. Itaq; repẽtè alij in eorum locum ſubſtituuntur. His tortor & ſcriba qui maximè idonei viſi ſunt, apponuntur, celeritérq; Briqmaldus & Cauannius adumbrato iuditio damnati, ad patibulum, quod eſt in platea vrbis celeberrima, multis hominũ millibus inſpectantibus deducũtur. Ad hoc ſpectaculum regina mater regẽ

cæte-

cæteròſq; filios & generum Nauarrenũ deducit. Quum ad hunc extremũ actũ aptiſsimum viderẽtur, Briqmaldum audiente vniuerſo populo veniam à Rege petere, ſummittuntur qui eum moneãt, ſi vellet, vitam nullo negotio redemturum: Regem natura clementem & miſericordem eſſe, ſi veniam ab illo peteret, & crimẽ fateretur, facilè impetraturum. reſpondet ille forti & magno animo, non ſuas, ſed Regis ipſius partes eſſe, veniam iſtius culpæ à Deo deprecari, ſe criminis eius veniam nũquam petiturum, cuius ſe expertem, atque innocentem eſſe ſciat, Deumq; teſtem habeat: Deo tamen nihilominus ſupplicare, vt hanc Regi culpam condonet. Ita duo ſummi & clari viri laqueis à carnifice in collum inſertis, de ſcalis deiecti, & reſte ſuſpenſi ſunt. Simul homo fœneus Amirallij figura funibus alligatus ac ſuſpenſus eſt, præpoſtero iudiciorum more, cum Amirallius prius occiſus, pòſt damnatus eſſet. Sed cùm

in omnibus propè oppidis magnæ cædes factæ sunt, tum verò nulla Lugdunensi trucidatione horribilior atq; immanior memoratur. Literis ad Mandelottū vrbis gubernatorem ex aula perlatis, primùm per tubicinem ac præconem edici iubet, vt omnis religionis cultores domum ad se conueniant. Nulla mora interposita omnes ad illum adeūt, Ijs imperat vt in carceres, qui ab apparitoribus demonstrabuntur, duci se patiantur. Dicto parent: ducentésq; apparitores sequuntur. Hi propter multitudinem, varios in carceres illos dispertiunt. Tum Mandelottus carnifici publico suis verbis nunciari iubet, vt adscitis aliquot socijs atq; administris, eos qui in carceribus inclusi erant, iugulatum eat. Respondet carnifex, se lege agere nisi in damnatos & publicis ac patentibus locis non solere: alium si vellet, trucidatorem quæreret. Mandelottus à carnifice repudiatus, militibus, qui in arcis præsidio erant, vt id facerent mandat. Respon-

ſpondent milites, dignitatis ſuæ non eſſe, in vinctos ac ſupplices arma capere: ſi quã illi ſeditionem excitaſſent, ſi ab ijs læſi aut laceſsiti fuiſſent, paratiſsimis animis dimicaturos. Ab his quoque reiectus, ad extremum nautis & lanionibus negotium illud defert. Hi paulo pòſt in carcerem intromiſsi, machæris & ſecuribus rem gerunt: quos ad pedes proſtratos ſublatis in cœlum manibus ſupplices, Dei atque hominum miſericordiam implorantes videbãt, his ludibundi digitos & ſummas manus amputabant: tantusq; tũ vrbe tota clamor eiulatuſq; mulierum & puerorum exauditus eſt, vt innumeri pontificiæ religioni deditiſsimi ſæuitiam illam deteſtarentur, neque iam homines, ſed planè immanes feras formam hominum indutas in carcerem ingreſſas putarent. Satis conſtat complures matresfam. vterũ gerentes horrore tanto perfuſas fœtum eieciſſe: quin etiam ex area carceris, qui Archiepiſcopalis appellatur,

in proximas vrbis vias calidus fumánſq; ſanguis manare viſus eſt, atq; flumen Ararim luce palàm , cohorreſcentibus multis, influere. Fuit in illo Archiepiſcopali carcere vir natu grandis Franciſcus Colutius, mercator pilearius, vnáque duo ipſius filij adoleſcẽtes, quos ſtudioſè ſemper religione imbuendos, inſtituẽdóſq; curarat. Is vbi laniones ſtrictis machæris ad ſe venientes conſpicatus eſt, filios cohortari cœpit, ne oblatá à Deo mortẽ recuſarent: fatum illud religionis Chriſtianæ eſſe perpetuũ, crebráq; huiuſmodi ſacrificia in Eccleſijs Chriſtianis accidere: Chriſtianos ſeculis omnibus inter homines tanquam oues inter lupos, columbas inter accipitres, victimas inter ſacrificos fuiſſe, ſempérq; in poſterum vſq; ad mundi occaſum futuros eſſe. Tum ſenex adoleſcẽtes ambo amplexus, vnáq; cum ijs procumbens, Deíq; miſericordiam magna voce implorãs, multis vulneribus ab illis lanionibus vna cum filijs trucidatus eſt:

eſt: longóq; pòſt tempore, tria illorum corpora arctè inter ſe circumplexa, miſerandum multis ſpectaculum præbebant. At Mandelottus interea iocandi (vt videbatur) cauſſa, per præconem edici iuſsit, ne quis cædem in vrbe faceret: ſi quis trucidationum auctores indicare vellet, ſe centum illi ſcutatos aureos pro indicij præmio daturum: neque ex eo tempore iugulandi, prædandi & expilandi modus factus eſt. Poſtridiè, qui dies erat Calendarum Septembris, maxima cadauerum pars in Ararim abiecta eſt: reliquam partem Andelottus, vt oculos paſceret, atq; animum cruore imbutum ſatiaret, in alterã fluminis ripam nauigio tranſportari, atque in viridi gramine deponi imperauit, proximè Abbatiam, cui nomen eſt Eſnea. Ibi Lugdunenſes, atq; imprimis Itali, quorum in illo oppido propter mercatum magna copia eſt, aliquandiu ſuos oculos explerunt, atq; illos corporum aceruos, quibus potuerunt contumelijs, af-

 fecerunt,

fecerunt, ſuamq; crudelitatem non ſolùm in viuos, ſed etiam in mortuos exercuerunt. Actum accidit quiddã, quod propter nefariam crudelitatem prætermittendum non videtur. Venerunt ad illud ſpectaculum pharmacopolæ quidam: inter illos corporum aceruos opima quidam animaduertunt: confeſtim ad lanios accedunt: demonſtrant ex adipe humana confici medicamenta ſolere: poſſe illos aliquantulum quæſtus ex ea re facere: quo cognito, lanij ad illos aceruos aduolant, opimiora deligũt, hæc gladijs incidunt, adipémq; detractũ pharmacopolis accepto precio diuendunt. Dum hæc Lugduni gerũtur, rex certior factus, cõplures ex cæteris oppidis, relictis cõiugibus ac liberis diffugiſſe, & partim in ſyluis, partim apud amicos ac miſericordes latitare, blandis illos verbis eliciendos ac reuocandos curat. Miſsis quoquouerſus nuncijs ac literis, confirmat ſe trucidationes iſtas, & immanes carnificinas, indigniſsi-

indigniſsimè tuliſſe: daturum operā vt ſeuerè atrocitas tanta vindicetur: ſi quid Amirallius cum paucis conſcijs conſpiraſſet, ſi quid clādeſtini conſilij cœpiſſet, non æquum eſſe tam multos innocentes ſupplicio paucis debito circūueniri. Hac Regis oratione permulſi cōplures, præfectorúmque literis deliniti, rurſus ſe in ſedes ac domicilia ſua recipiunt: quo in genere Rothomagenſes, Diepenſes & Tholoſani præcipuè numerantur. Vix biduum interceſsit, quum illis imperatur vt in carceres abeant, vbi omnes inclusi ſunt: tum ſicarij apponuntur infimide plebe, ac perditi homines, qui eos omni cruciatu affectos necarent. Neque per dies amplius. 30. toto Galliarum regno iugulandi, trucidādi, diripiendi modus factus eſt. Itaq; paruulorum infantium, viduarum ac puerorum, qui honeſtiſsimo loco nati, nunc parentibus orbati vitam vagam atque inopem perſequuntur, ferè iam ad centum millia numerantur. Sub id tempus edici rex iubet

vt qui magiſtratus aut præfecturas gererent, niſi celeriter ad catholicam, apoſtolicam & Romanam eccleſiam redire vellent, ſuis ſe illis muneribus ciuilibus abdicarent. Neque vllum fuit oppidum, vllus vicus aut pagus ita tenuis, in quo non omnes religionis cultores vel miſsificationi intereſſe, vel ferrum eueſtigiò recipere cogerẽtur: quinetiam multis locis accidit, vt qui tam inſperato ac repentino malo perculſi religionem abiurarant, tamen aliquanto pòſt interficerentur. Quæ dum paſsim omnibus in oppidis gerebantur, Rex interea literas ac nuncios in omnes partes dimittebat, ſimulqúe per tubicines pronũciari iubebat, placere ſibi vt edicta ſua pacificatoria obſeruarentur: etſi minus colendæ atque in publico exercendæ religionis poteſtas fieret, at certè intra domeſticos parietes retinendæ profitendæqúe libertas permitteretur, ſimulqúe bonis ac fortunis religioſorum abſtineretur. Tum qui paucis antè diebus, miſsis

ad

ad omnes prouinciarum rectores literis, nunciarat Amirallium cognatum ſuum magno cum animi ſui dolore à Guiſio interfectum, ſeqúe maximo in diſcrimine verſatum eſſe: idem nunc pronunciari per tubicines iubebat, ſceleratum atq; impium Amirallium mandatu atque imperio ſuo interfectum fuiſſe. Qui ſuperioribus diebus religionis libertatem pacificatorijs edictis permiſſam noua auctoritate confirmarat, idem eiuſdem cultoribus non modò præfecturas atque honores abrogabat, verumetiam abiurandæ deteſtandæqúe religionis formulam conceptis verbis præſcribebat. Quarum rerum ne cui fides in dubium veniat, exemplum literarum & edictorum & abiurationis inferiùs ſubſcribemus.

LET-

LETTRES DV ROY AV GOVVERneur de Bourgogne, par lesquelles il charge ceux de Guyse du meurdre commis en la personne de Monsieur l'Amiral, & de la sedition aduenuë a Paris, & mande qu'il veult que l'edict de pacification soit entretenu.

MOn cousin vous auez entendu ce que ie vous escrivis auanthier de la blessure de mon cousin l'Amiral, & comme i'estois aprez a faire tout ce qu'il m'estoit possible pour la verification du faict & chastiment : à quoy il ne s'est rien oublié. Despuis il est aduenu que ceux de la maison de Guyse, & les autres seigneurs & gentilshommes leur adherens, qui n'ont pas petite part en ceste ville cõme chacun scait. ayant sceu certainement que les amis du dit Amiral vouloient poursuiure sur eux la vengeance de ceste blessure, pour les en soupsonner auctеurs. A ceste cause & occasion se sont esmeuz ceste nuict passée, si bien qu'entre les vns & les autres il s'est passé vne bien grande & lamẽtable sedition, ayant esté forcé le corps de garde qui auoit esté ordonné a l'entrée de la maison du dit Amiral pour sa seurté, l'ont tué auec quelques aultres gentils hommes, cõme il en a esté aussi massacré

d'autres

d'autres en plusieurs endroits de la ville. ce qui a esté mené auec telle furie que l'on n'y a peu apporter le remede tel que l'on eust peu desirer, ayant eu assez d'affaires a employer mes gardes & autres forces pour me tenir le plus fort en ce chasteau du Louure auec mes freres, pour aprez faire donner ordre par toute la ville a l'appaisement de la sedition, qui est de ceste heure amortie la grace a Dieu, estant aduenue par la querelle particuliere qui de long temps est entre les deux maisons: de la quelle ayant tousiours preueu qu'il succederoit quelque mauuais affaire, s'auois cy deuant fait tout ce qu'il m'auoit esté possible pour l'appaiser ainsi que chacun scait, ny ayant en cecy rien de la rupture de l'edict de pacification, lequel ie veux au contraire estre entretenu autant que iamais, ainsi que ie fais scauoir par tous les endroits de mon royaume. Et dautant qu'il est grãdement a craindre que telle execution ne souslene mes subiects les vns contre les autres, & ne se fussent grands massacres par les villes de mon royaume, de quoy i'auroi vn merueilleux regret, ie vous prie de faire publier & entendre par tous les lieux & endroits de vostre gouuernement, qu'vn chacun ait a demeurer en repos & seureté en sa maison, ne prendre les armes & offenser l'vn l'autre sur peine de la

vie:

vie : faisant garder & sogneusement entretenir nostre edict de pacification a ces fins. Et pour faire punir les contreuenãts & courir sus a ceux qui voudroient s'esleuer & desobeir a nostre volonté, vous assemblierx incontinent le plus de forces que vous pourrez tant de voz amis que de mes ordonances & autres, aduertissant les capitaines des villes et chasteaux de vostre gouuernement en prendre garde a la seurté & conseruation desdictes places, de sorte qu'il n'en aduienne faulte, m'aduertissant au plustost de l'ordre que vous y aurez donné, & comme toutes choses se passent en l'estendue de vostre gouuernement. Sur ce ie prie Dieu mon cousin qu'il vous ait en sa saincte garde : a Paris ce: 24. d'Aoust.
signé, CHARLES, *& au dessoubs, Brulard.*

Latina interpretatio.

REGIS LITERAE AD BVRGVNDIAE PRAEFECTVM, QVIBVS *homicidij in Amirallij persona patrati culpam in Guysianos transfert, eosq; facit authores illius tumultus Parisijs orti : mandatq; se velle edictum pacis nomine à se prescriptum obseruatum iri.*

COgnate, ex superioribus meis literis intelligere potuisti & Amirallio cognato

cognato meo inflictum fuisse vulnus,& studium atque operam, quam antehac vt maximè ac diligentissimè potui, adhibui, in authore illius sceleris inuestigando & coercendo: qua in re nulla aut cura aut diligentia prætermissa fuit. ex eo autem tempore Guysiani alijqúe nobiles à partibus illorum stantes (quorum non minor, vt omnibus constat, in hac Parisiorum vrbe est potentia atque authoritas) certiores facti Amirallij amicos consilium inijsse de iniuria illa in eorum caput vlciscenda, quippe quos iniuriæ illius authores fuisse suspicabantur, superiore proxima nocte arma ceperunt, magnáque & deploranda seditio inter ambas partes versata est: nam impetus factus est in eam cohortem, quam Amirallio pręsidij caussa pro foribus ipsius domus attribuerã: qua cohorte perrupta, interfectus est Amiralius cum aliquot nobilib⁹, multísq; alijs in huius vrbis locis alij cõplures trucidati sunt, tãtáq; fuit rabies adeóq; effrenis, vt pręcaueri atque


les images de Iesus Christ, de sa saincte mere, & de tous les saincts, & leur faire honneur & reuerence. Ie confesse le pouuoir des Indulgences auoir esté laissé en l'egliſe par Iesus Christ & l'vsage d'icelles estre grandement salutaire, cõme aussi ie recognois et confesse l'gliſe de Rome estre la mere et chef de toutes les egliſes, & qu'elle est conduite par le S. esprit, et que toutes pretendues inspirations particulieres y contreuenantes sont suggestions du diable, prince de dissension, qui veult separer l'vnion du corps mystique du sauueur du monde. Finalement ie promets estroitement garder tout ce qui a esté statué et ordonné par le S. concile dernierement tenu à Trente: & promets a Dieu & a vous de ne me departir iamais de l'egliſe catholique, Apoſtolique & Romaine, et ou ie le ferois, (ce que Dieu ne veuille) ie me soubmets aux peines des canons de la dite egliſe, faicts, statuéz et ordonnez contre ceux qui retombent en apoſtaſie. La quelle abiuration & confession de foy i'ay signée.

FOR-

FORMVLA ABIVRATIONIS

hæreſeos : item confeſſio fidei quam edere debent qui à fide aberrarunt, & in ſinum eccleſiæ recipi cupiunt, typis excuſſa Lutetiæ apud Nicolaum Reſſetum in nouo virginis Mariæ vico habitantem ſub Saturni inſigne, cum Regis priuilegio.

Hæc eſt abiuratio cui ſubſcribere debent omnes qui in Gallia adhuc ſunt, vt ſibi vitam redimant.

IN primis, ij qui à fide aberrarunt, ſi in ſinum matris eccleſiæ recipi cupiant, Parochos eorúmue vicarios adire debent, vt ex illis quid facto opus ſit intelligant. deinde ad reuerendum Epiſcopum & diœceſanum aut eius vicarium officialémue remittentur, vt eam abiurationis & confeſsionis formulam pronuncient quæ ſequitur :

Ego N. oriundus, &c. diœceſis, &c. habitans vrbem, &c. agnoſcens, Dei gratia, veram fidem catholicam & Apoſtolicã, à qua vitio & culpa mea defeci,

feci, ab anno, &c. cupienſq; in gregem & ouile Chriſtianum redire, id eſt, in eccleſiam catholicam, Apoſtolicam & Romanam, fateor me adiuraſſe et anathema feciſſe, quinetiam nunc coram te Domine & antiſtes, abiuro, deteſtor & anathema facio omnem errorem & hæreſim Lutheranam, Caluinianam, & Huguenoticam, aliáſq; omnes hæreſes qualeſcunq; ſint, quibus hactenus inquinatus & contaminatus fui, aſſentior vere fidei Eccleſiæ matris noſtræ: teque oro per nomen Dei & eius filij Ieſu Chriſti & glorioſæ virginis Mariæ matris ipſius, omniúmque Sanctorum & ſanctarum paradiſi, vt me in gregem & ouile populi Dei recipias, qui ſub imperio Papæ viuit, quem Dominus noſter Ieſus Chriſtus vicarium in eadem eccleſia conſtituit, promittoq; me paratũ eſſe libenter ad ſubeundum & patienter ferendũ pœnitentiam quã mihi imponere volueris, in abſolutionem peccatorũ quæ cõmiſi eo tẽpore

quo hæreſes illas ſequebar. quorũ pec-
catorum veniam deprecor à Deo & ab
eadem eccleſia, & à te, quem Deus crea-
tor paſtorem cõſtituit, petoq; abſolutio-
nem cum eiuſmodi pœnitentia quam
fore ſalutarem iudicabis, & ſatisfacere
pro meis peccatis et delictis poſſe. Porrò
vt ex animo me iſtam abiurationem fe-
ciſſe & facere cognoſcas, confiteor in-
ſuper coram Deo & coram te, me cre-
dere quę continentur in ſymbolo Apo-
ſtolorum & in ſymbolo ſancti Atha-
naſij, alijſque fidei confeſsionibus, quæ
quondam editæ, receptæ, & approbatæ
fuerunt in concilijs eccleſiæ catholicæ,
Apoſtolicæ & Romanæ, quibus ſancta
eccleſia Romana in miſſa vtitur, nimi-
rum, Credo in vnum Deum patrẽ om-
nipotentem, creatorẽ cœli & terræ, viſi-
bilium omnium & inuiſibilium: & in
vnum dominum Ieſum Chriſtum, fi-
liũ Dei vnigenitum, ex Patre natũ ante
omnia ſecula, lumen de lumine, Deum
verum de deo vero, genitũ, non factum
con-

consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines & salutem nostrã descẽdit de cœlis, & conceptus est de Spiritu sancto. qui carnẽ humanã à Maria virgine sumpsit, & homo factus est, crucifixusq; pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est, & tertia die iuxta scripturas resurrexit, & ascendit ad cœlos, & sedet à dextris Patris, & iterum venturus est iudicare viuos & mortuos, cuius regnum finem nõ adipiscetur. Et in spiritũ sanctum viuificantẽ, qui ex patre & filio procedit, qui cum patre & filio simul adoratur & conglorificatur, qui per Prophetas locutus est. In vnã sanctam catholicam & Apostolicam ecclesiam. Cõfiteor vnum baptisma in remissionem peccatorũ. expecto resurrectionẽ mortuorum, & vitam æternam. Credo præterea, agnosco & cõfiteor quicquid continetur in libris tum veteris tum noui Testamenti, quos eadẽ sancta ecclesia catholica, Apostolica & Romana

comprobauit, ſecundum interpretationem & intellectum ſanctorum doctorum ab eadem approbatorũ: repudioq; omnem aliam interpretationẽ tãquam falſam & erroneam. Agnoſco ſeptem ſacramenta eiuſdem eccleſiæ catholicę, Apoſtolicæ & Romanæ inſtituta fuiſſe à Dom. noſtro Ieſu Chriſto, eaq; eſſe neceſſaria ad ſalutem humani generis, quamuis non omnia neceſſariò ſingulis tribuenda & conferenda ſint: agnoſco ſcilicet hæc eſſe ſeptem ſacramenta, Baptiſmum, Cõfirmationem, Euchariſtiam, id eſt, ſanctum altaris ſacramẽtum, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium: agnoſco eadem ſacramenta conferre gratiam: Baptiſmum autẽ, Confirmationẽ & Ordinẽ non poſſe ſine ſacrilegio iterari. Agnoſco eadẽ ſacramenta vim habere, quã eadẽ eccleſia docet, formamq; & vſũ quo Chriſtianis adminiſtrari ſolent eſſe ſanctũ & neceſſariũ. Agnoſco pręterea ſanctam Miſſam eſſe ſacrificiũ

&

& oblationem veri corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti, ſub ſpeciebus panis & vini aqua diluti: eáſq; materias panis & vini ſub prędictis ſpeciebus in Miſſa per vim verborum conſecrationis quæ à ſacerdote pronunciantur, tranſubſtãtiari & trãſmutari in ſubſtantiã prædicti corporis et ſanguinis Ieſu Chriſti, licet qualitates et accidentia maneant in dictis ſpeciebus conſecratione facto. Itẽ Miſſam eſſe ſalutarem & vtilem tam viuentibus quam defunctis. Agnoſco præterea et confiteor concomitantiam, hoc eſt, quod recipientes corpus Ieſu Chriſti ſub ſola ſpecie panis, vnà etiam recipiũt ſanguinẽ Ieſu Chriſti. cõfiteor interceſsionẽ ſanctorũ pro viuis et mortuis eſſe ſanctã, piam et ſalutarẽ Chriſtianis, neque illam vllo modo honori Dei eſſe contrariã. Item preces quæ fiũt in eccleſia pro fidelibus defunctis, ijs ad remiſsionem peccatorum prodeſſe, & ad imminuendum pœnas quas propter illa patiuntur. Agnoſco eſſe Purgato-

rium, in quo animæ quæ detinentur, adiuuantur orationibus fidelium. Confiteor honorandos & inuocãdos esse sanctos regnantes cum Iesu Christo, eósque pro nobis apud Deum intercedere, eorúmque reliquias esse honore prosequendas. Præcepta & traditiones ecclesiæ catholicæ, Apostolicæ Romanæ, quæ tum ad formam & ceremoniam diuini cultus, tum ad eius celebrationem attinent, prodesse ad populũ Christianum ad pietatem excitandum & ad Deum suum reducendum: vtpote, ieiunia, à cibis abstinentiam, festorum obseruationes, & quæ ad ecclesiasticam politiam pertinent, iuxta Apostolorum & sanctorum Patrum traditionem, quæ à primitiuæ ecclesiæ tempore hucusque retenta & continuata est, & in ecclesiam introducta per conciliorum statuta, quã agnosco esse sanctã & piam, & cui volo & debeo parére tanquam præscriptæ & dictatæ à Spiritu sancto, auctore & gubernatore eorũ quæ ad conseruationem religio-

religionis Christianæ & ecclesiæ catholicæ, Apostolicæ, Romanæ pertinent. Item credo & agnosco oẽs & singulos articulos peccati originalis & iustificationis. Affirmo atq; asseuero retinendas esse nobis imagines Iesu Christi & eius sanctæ matris, & sanctorum, ijsque honorem & reuerentiam tribui oportere. Confiteor potestatem indulgentiarũ in ecclesia à Christo esse relictam, earúmq; vsum esse valde salutarem. Agnosco & fateor ecclesiam Romanam esse matrẽ & caput omniũ ecclesiarum, eámque à spiritu sancto regi & gubernari: omnésque particulares inspirationes quas nonnulli prætendunt, quæ ecclesiæ illi Romanæ aduersantur, esse Diaboli suggestiones dissensionũ principis, & qui vnionẽ corporis mystici mũdi saluatoris dissoluere conatur. Deniq;, promitto me diligẽter obseruaturũ quæcunq; constituta sunt à sancto concilio nuper Tridenti habito. Deóq; & tibi polliceor me nũquã ab ecclesia catholica, Apostolica & Romana

defecturum. quòd si secus fecerim, auertat hoc Deus, me pœnis canonum ecclesiæ factorum & constitutorum in eos qui in apostasiam labũtur subijcio. Atque hanc abiurationem & fidei confessionem signaui N.

LETTRES DV ROY A MONSIEVR de Guyse, & autres lieutenants & gouerneurs en ses prouinces, par lesquelles il abolist & subuertist entieremẽt tous les edicts de pacification, & veult qui la seule religion Romaine aye lieu en son royaume.

LE roy ayãt cogneu que la declaratiõ qu'il a faite sur les occasions qui se sont n'agueres presentées en ceste ville de Paris, les memoires et instructions de sa volonté qu'il a enuoyées de toutes parts aux gouuerneurs de ses prouinces et lieutenãts generaux en icelles, & lettres particulieres aux Seneschaux, & a ses courts de parlements, & autres ministres & officiers de iustice, n'õt peu iusques icy empescher les cours de meurdres, pilleries & saccagements qui se sont faits en la plus part des villes de ce royaume, au grande desplaisir de sa Maiesté, a aduisé,

aduiſé pour le plus ſingulier remede, enuoyer tous les dites Gouuerneurs, en chacun de leur gouuernements, aſſeuré que attendu leur qualité & pouuoir qu'ils ont de ſa Ma. ils ſcauront bien faire ſuiure & obſeruer ſon intention, laquelle, pour plus amplement declarer, ſa dit M. a fait deſpecher ſes lettres patentes, qui leur ſeront baillées : leſquelles il entend qu'ils facent exactement obſeruer. Oultre le contenu deſquelles Monſegnieur le Duc de Guyſe gouuerneur & lieutenant general pour ſà dite M. en Champaigne & Brie fera venir deuers luy les gentil-hommes de la nouuelle opinion reſidents en ſon gouuernement, leur dira que le vouloir & intention du Roy eſt de les conſeruer eux & leurs femmes, enfans & familles, les maintenir en la poſſeſſion & ioniſſance de leurs biẽs: pourueu que de leur part ils viuent paiſiblement, rendants a ſa M. l'obeiſſance & fidelité qu'ils luy doibuẽt, ce que faiſans le Roy auſſi les guardera qu'ils ne ſoient par voye de iuſtice ny autrement inquietez ny moleſtez en leur: perſonnes & biens, pour raiſon des choſes faites durãt les troubles & deuant l'dict de pacification au mois d'Aouſt. 1570. Apres les admoneſtera amiablement ne perſeuerer plus longuement en l'erreur des nouuelles opinions, & de reuenir

a la religion catholique, ſe reconcilians a l'egliſe Apoſtolique & Romaine, en la doctrine & obeiſſance de laquelle, les roys ſes predeceſſeurs & leurs ſubiectes ont touſiours ſainctement veſcu, & ce royaume s'eſt ſogneuſement conduit & maintenu. Leur remonſtrant les malheurs & calamitez qui ſont aduennes en ce dit royaume depuis que ces nouuelles opiniõs ſont entrés aux eſprits des hommes. De combien de meurdres elles ont eſté cauſes, qu'elles ont deſuoyé ceux qui ſont tombez du droit chemin qu'ont tenu leurs anceſtres : elles les ont fait ſeparer premierement de l'egliſe, aprez de leurs plus proches parens, ſe ſont auſſi eſlongnez du ſeruice de leur Roy, voire de l'obeiſſance & fidelité qu'ils luy doibuent, comme l'on a veu depuis ce regne. Que iacoit que les autheurs & chefs de ceſte part ayẽt voulu couurir leurs actions du tiltre de religion, ou de conſcience: toutefois les oeuures & effects ont aſſez monſtre que le nom de religion n'eſtoit qu'vn maſque pour couuir toutes machinations et deſobeiſſances, & ſoubs ce pretexte aſſembler ſuborner & gaigner gens, les aſtreindre, & par ſerment faire iurer en la cauſe, ſoubs ce tiltre de religion, & par telles voyes les diſtraire de la naturelle affection qu'ils doibuent a leur Roy, conſequemment de ſon obeiſſance: eſtant

ſtant aſſez notoire que quelque commandement qu'aye peu faire le Roy a ceux de la nouuelle opinion, ils ne luy ont obey depuis ſon regne, ſinon autant qu'il plaiſoit a leurs chefs. au contraire quand leurs dits chefs ont commandé prendre les armes, s'eſleuer, s'emparer des villes, bruſler egliſes, piller & ſaccager, de troubler le royaume le remplir de feu & ſang, ceux qui s'eſtoiẽt ainſi deſuoyez a les ſuiure oublioyent toute loyautè & tout debuoir de bons ſubiects, pour obeyr & executer leurs commandements. Leſquelles choſes ſi les gentils-hommes veullent bien conſiderer, ils iugeront facilement combien ſeroit leur condition malheureuſe & miſerable s'ils perſeuerent plus longuement. Car ils peuuent biẽ d'eux meſmes eſtimer que le Roy enſeigne p l'experience de tant de danger, d'ont il a pleu à Dieu preſeruer luy & ſon eſtat, ayant eſprouuè les malheurs & calamitez que ce noyaume a ſouffert par les ſurpriſes des chefs de ceſte cauſe leurs adherants & complices, qu'il ne ſe ſeruira iamais volontiers d'vn gentil-homme ſon ſubiect qui tiendra autre religion que la catholique, et en la quelle auſſi le roy ſuiuãt ſes predeceſſeurs veut viure et mourir: il velut auſſi pour oſter touts deffiãces ẽtre ſes ſubiects, pour eſteindre la ſource des diſcords & ſeditiõs q̃ tous ceux

prin-

principalement les gentils-hommes desquels ils se sert és lieux plus honorables, qui desireront estre de luy recogneuz pour bons & loyaux subiects, qui voudront auoir sa bonne grace, et estre de luy employez és charges de son seruice selon leurs degrez & qualitez, facent profession de viure doresnauant en mesme religion que la sienne. Ayant esprouué que les discords & guerres ciuiles ne cesseront en vn estat ou il y aura diuersité de religion, et qu'il est impossible a vng Roy maintenir en vn mesme royaume ceste repugnance de religion, qu'il ne perde la bienueillance et obeissance de ses subiects: voire que ceux qui seront de la religion repugnante a la sienne ne desirent en leur coeur que changement de Roy & d'estat. Par les raisons susdites le dit sieur Duc de Guyse pour amener à mesme fin, s'efforcera a persuader la noblesse & autres personnes qualifiéz de ladite nouuelle opinion, de retourner d'eux mesmes et de franche volonté a la religion catholique & d'abiurer la nouuelle, sans attendre plus exprez commandement du Roy. Car en quelque sorte que ce soit ledit sieur est resolu faire viure ses subiects en sa religion, & ne permettre iamais ny tolerer, quelque chose qu'il en puisse aduenir, qu'il y ait autre forme & exercice de religion en son royaume

que

que de la catholique. Le dit sieur Duc de Guyse communiquera aux principaux officiers & magistrats ayans la principale charge & administration de la iustice des villes de son gouuernement, la declaration de sa dite M. afin qu'ils entendent qu'elle est son intention, & la bonne fin a laquelle elle tend, au repos & vnion de ses subiects: pour par ledit sieur de Guyse & lesdits officiers et magistrats estre procedé auec vne mesme intelligence et correspondance à l'effect que dessus, à ce que le fruict, repos et vtilité en puisse reüssir, telle que sa M. desire, non seulement pour ce qui la peult regarder, mais l'vniuersel de son royaume. Les Baillifs & Seneschaux qui ne sont de la qualité requise passeront procuration pour resigner dedans vn mois leurs offices a gentils-hommes capables, de la qualité portée par l'édict sur ce fait, qui les pourront tenir & exercer. Et a faulte de ce faire, sa M. les declaire des maintenant comme de des lors priuez de leurs offices. & afin qu'ils n'ayent occasion de couleur de remise & excuse, elle entend et leur permet qu'ils puissent resigner leurs dits estats sans pour ce payer aucune finance. Tous Baillifs et Seneschaux resideront en leurs Bailliages & Seneschaussées, sur peine de priuation: & ou ils ne pourroient ce faire pour autre empesche-

empeſchement, ſeront tenus de reſigner ce que ſa dite M entend pareillement qu'ils puiſſent faire ſans payer finance. Tous Archeueſques & Eueſques reſiderõt ſur leurs benefices, & ceux qui par vielleſſe ou autrement, indiſpoſition de perſonnes ne pourroient preſcher et annõcer la parolle de Dieu, & eux meſmes edifier le peuple, et faire autres functiõs appartenãtes a leurs charges & dignitez, ſeront tenus prendre vng conducteur pour les ſoulager & s'employer au debuoir de leur charge. Auquel conducteur ils aſſigneront penſion honneſte & raiſonable, telle qui ſera aduiſé, ſelon les fruicts & reuenu du benefice. Les Curez pareillement reſiderõt ſur leurs benefices, ou ſeront admoneſtez de les reſigner a autres qui reſideront en perſonne, & feront debuoir de leur charges. Les Archeueſques & Eueſques s'informeront de ceux qui tiendront les abbayes, & Priorés, & autres benefices qui ſont en leurs Dioeceſes, de quelles qualités ils ſont, & le debuoir qu'ils rendent a l'adminiſtration de leurs benefices: dont ils feront procez verbaux, qu'ils mettront és mains des Gouuerneurs, qui les ennoyeront puis aprez a ſa Maieſté pour y pourueoir ainſi qu'elle verra eſtre a faire par raiſon, feront reſider actuellement les Curez és lieus de leurs benefices, ou

pour-

pourvoirent en iceux d'autres personnes capables selon les dispositions canoniques. Fait à Paris le 3. iour de Nouembre. 1572.

signé CHARLES.

LITERAE A REGE AD DO. *Guysium aliosq; prouinciarum praefectos scripta: quibus omnia pacificatoria edicta antiquantur atque subuertuntur, & vnicam religionem Romanam se in suo regno retinere velle profitetur.*

POsteaquam Rex animaduertit, neq; Declarationem quam promulgauit super ijs quæ superioribus diebus in hac vrbe Lutetię acciderunt, neq; mandata quæ quoquo versus misit ad omnium prouinciarum rectores & magistratus, & curias parlamentorum, aliosque iuridicos, potuisse vsque adhuc inhibere cædes, direptiones & rapinas quæ in maxima parte vrbium huius regni, magno Maiestatis suæ cum dolore acciderunt: optimũ factu iudicauit,

Recto-

Rectores omnes in ſuas prouincias mittere, ſperans atque adcò confidens, fore vt pro ſua poteſtate perficiant, vt Regiæ maieſtati pareatur. Itaque literas patentes ac diplomata eis dari iuſsit, quibus voluntas ipſius cõtinetur. Præterea dux Guyſius, gubernator & præfectus generalis Regis in Campania & Bria, euocabit ad ſe nobiles qui nouam opinionem ſectantur, iiſque exponet voluntatẽ Regis hanc eſſe, vt cùm ipſos, tum ipſorum coniuges ac liberos tueatur: fruíq; ſuis bonis & poſſeſſionibus permittat: dum tamen ipſi placidè & modeſtè ſe gerant, & Regiæ maieſtati obſequium quod ei debent præſtent. Quod ſi fecerint, Rex dabit operam ne per magiſtratus vel alios vexentur earum rerum nomine quæ acciderunt ſuperioribus Galliæ motibus, hoc eſt, ante pacem factam menſe Auguſto. 1570. Tum illos amicè commonefaciet, ne diutius in errore nouarum opinionum perſeuerent, hortabitúrque vt ad catholicam religionem

reuer-

reuertantur, redeantque in gratiam cum ecclesia Apostolica Romana : in cuius fide & obsequio superiores reges, eorumq; subditi sanctè vixerunt, regnumq; hoc diligenter conseruatum est: reuocabitque in memoriam detrimenta & calamitates quæ in hoc regno acciderunt, posteaquam istæ nouæ opiniones hominum mentes atque animos occuparunt Quot cædiũ causam præbuerunt, quàm alienarint sectatores ipsarum ab ea via, quam maiores ipsorum tenuerunt. quemadmodum illæ opiniones auerterunt ipsos, primùm ab ecclesia, deinde à suis propinquis, & à seruitio atque obsequentia Regi debita: cuiusrei multa post hunc regem inauguratum documenta extiterunt. Et si autem auctores ac principes tumultuũ actiones suas tegere & velare voluerũt prætextu religionis & conscientiæ : tamen effecta docuerunt, nomen Religionis tantùm ad speciem vsurpatum fuisse, vt eo prætextu machinationes

omnes & rebelliones tegerentur, hominésque ſubornarentur, & ad iuſiurandum adigerentur, tanquam aliqua religionis cauſa ſubeſſet: atq; his rationib⁹ abducerentur à naturali obſequio & ſtudio quod regi debent. Satis enim cõſtare, ſectatores opinionis nouæ regijs mandatis atq; imperijs nũquã paruiſſe, niſi quatenus ipſorũ ducibus et ſigniferis placuerit. ex cõtrario enim duces ipſorum iuſſerũt arma capi, vrbes occupari, templa ſpoliari & comburi, regnũ vniuerſum ſanguine & incendijs repleri. Qui verò illos ſectabantur, fidẽ & obſequiũ quod regi debebant, obliuiſcebãtur, vt illorũ ducũ mandatis obtemperarent. Quæ omnia ſi prædicti nobiles cũ animis ſuis reputare velint, facilè cognoſcent, quàm miſera & infelix illorum conditio futura ſit, ſi diutius in illis opinibus permaneant. Nam per ſe ipſi cogitare poſſunt, Regem qui tot pericula expertus eſt, (ex quibus Dei benignitate eſt liberatus, poſtquam multis

tis incõmodis et calamitatibus affectus fuit, eorum opera, qui cauſæ iſtius duces et ſectatores fuerunt) nunquam lubenter eius nobilis ſubiecti ſua opera vſurum, qui aliam in religione opinionem præter catholicam ſectabitur. in qua religione catholica Rex maiorum ſuorum veſtigia conſequens, viuere et mori ſtatuit. Decreuit præterea diſſidẽtiæ omnis inter ſubiectos ſuos tollendæ cauſa, et diſcordiarum omnium ſedandarum gratia, vt omnes, ac præſertim nobiles, quorũ opera vtitur in ampliſſimis functionibus, quíque cupient ab ipſo Rege pro bonis et fidelibus ſubiectis agnoſci, gratiámq; ipſius inire, & operã illi ſuam in regni negotijs obeũdis nauare, profiteantur ſe deinceps vnam eandémq; cum ipſo religionẽ ſecuturos. Comperit enim diſcordias et bella ciuilia nunquam finem habitura in ea republica, vbi varietas religionis herebit: impoſsibiléq; eſſe Regi illam religionum pugnantiã tueri, niſi ſubie-

ctorum ſuorum animos ab ſe alienare velit. quippe, cum ij qui alteri⁹ ſunt religionis ab ea quã Rex colit, nihil taciti aliud optent, niſi Regis & Reipublicæ mutationem. His de cauſis, prædictus dux Guyſius conabitur perſuadere nobilibus & alijs honoratis viris, vt libenter atq; vltrò ad religionem catholicam reuertantur, & nouã abiurent, neq; aliã planiorem Regis voluntatem expectẽt. Nam quomodocunq; id fiat, Regi deliberatum eſt, ſubiectos ſuos cogere ad eandem quam ipſe profitetur religionẽ colendam: neque vnquam permittere (quicquid accidere poſsit) vt alia ſit forma religionis in ſuo regno, quàm catholica. Idem dux Guyſius hæc regis mandata communicabit cum ſummis quibuſq; magiſtratibus & iuridicis ſuæ prouinciæ, vt intelligant cuiuſmodi ſit ipſius volũtas, quòdq; ipſius ſit ſtudiũ, nimirum conſeruandæ quietis & pacis inter ſuos ſubiectos. vt prædicti magiſtratus vnà cum duce Guyſio volũtatẽ

Regis

Regis exequi ſtudeant, & pacem ac trã-quillitatem totius regni procurent. Balliui & Seneſcalli qui non ſunt eius conditionis & religionis, quam Rex præſcribit, abdicabunt ſe intra menſem ſuis præfecturis & officijs, eáque nobilibus capacibus & religionem præſcriptam colentibus, cedent ac reſignabũt. Quòd ſi huic mandato non paruerint, Regia M ex nunc prout exhinc, declarat illos officiorum ac præfecturarum ſuarum expertes. Eadem tamen Maieſtas permittit illam ceſsionem & reſignationem fieri ſine vlla in fiſcum regium largitione. Omnes Archiepiſcopi & epiſcopi in ſuis diœceſibus permanebunt. Qui verò propter ſenectutem & valetudinẽ concionari, & verbum Dei annunciare, & per ſe populum ædificare, aliáſque functiones eccleſiaſticas obire nõ poterũt, cogẽdi ſunt aſciſcere cõductorem quẽdã, qui laborem ipſorũ ſubleuet: & ipſorũ munus obeat: eíque conductori idoneã ac honeſtam penſionem aſsigna-

bunt, pro ratione fructuum et prouentuum ipsius beneficij. Curati, siue parochi similiter in suis parochijs residebunt, aut eas assignabunt alijs, qui residere poterunt, & suis officijs fungẽtur. Archiepiscopi et Episcopi inquirent in eorum vitam, qui fruentur Abbatijs, Prioratibus, alijsque beneficijs, quæ in ipsorum diœcesibus sunt, cuius sint cõditionis, quemadmodum officio suo in suis præfecturis & beneficiis fungantur. eámq; inquisitionem literis mandabunt, & perscriptam gubernatoribus prouinciarum tradent, vt illam maiestati Regiæ transmittant; vt si quo fortè remedio opus fuerit, prouideat. cogent Parochos in suis beneficijs actualiter residere, vel alios in ipsorum locum substituent, secundum canonum decreta. Datæ Lutetiæ,

3. Nouemb. 1572.

signatæ, Carolus.

LET-

LETTRES DE MONSIEVR DE Gordes lieutenant general pour le Roy en Daulphiné a aucuns de la Religiõ qui ſont en ſon gouuernement, par leſquelles il les exhorte de ſe reduire a la religion Romaine, & qu'auſsi bien le Roy eſt reſolu de n'en endurer point d'autre.

MOnſieur ie ſuis aſſez aduerty de voz deportemens, mais vous deburiez ſouuenir des aduertiſſements que ie vous ay cy deuant faicts, & retourner de vous meſmes a la religion Catholique: qui ſeroit le meilleur fort & appuy que vous ſcauriez choiſir pour voſtre ſalut & conſeruation: en reiettant d'entour de vous ceux qui vous perſuadent du contraire, qui vouldroient pluſtoſt voir toute commotion & deſordre, que de rabatre aucune choſe de leurs opinions. Et par ce moyen vous feriez apparoiſtre au Roy la volonté que vous ditez auoir d'obeir a ſa Maieſté. Car auſſi bien eſt elle reſolue de ne ſouffrir plus autre exercice de religion en ſon Royaume que la ſuſdite. Vous aduiſant de tant que ie deſire voſtre ſoulagement, que ce ſera le meilleur ſi ainſi le faitez, ſans en attendre autres plus exprez edicts: autrement vous pouuez aſſeurer qu'il ne vous peult

que mal venir, & que ſadite Maieſté voudra eſtre obeye, atant ie prie Dieu vous vouloir adviſer & donner ſes ſainctes graces de Grenoble le 6. Decembre. 1572. voſtre entierement bon amy, Gordes.

LITERAE A DOM. DE GORDES *præfecto generali Regio Delphinatum prouinciæ, ſcriptæ ad quoſdam qui in eius præfectura ſunt, quibus illos hortatur vt ad Romanam religionem redeant: nam Regi deliberatum eſt nullam aliam ferre.*

DOmine, tuarum actionum non ſum neſcius, ſed in memoriam reuocare deberes documenta quæ ad te antea dedi, & tua ſponte ad religionem catholicam redire, qua nullum fortius propugnaculum pro tua ſalute & conſeruatione eligere poſſes, abigendo à te omnes qui in contrariam ſententiam te adducere vellent, & libentius omnis generis motus ac perturbationes viderent, quàm de ſua opinione ne tantillum quidem cederẽt.

Atque

Atq; hoc modo Regi patefaceres id desiderium quo te teneri ais, vt obsequium suæ Maiestati debitum præstes. etenim illi deliberatum est aliud religionis quàm suprà dictæ exercitium in suo regno nõ tolerare. téq; certiorem facio, quoniam tibi bene cupio, si ita feceris, nec aliud expressius mandatum expectaris, tibi maximo fore cõmodo. Quod si secus, crede nihil præter malum tibi accidere posse, foréque vt Regia M. velit sibi tandem obsequium præstitum iri. Quare Deum oro vt tibi consilium dare & suas benedictiones largiri dignetur. Gratianopoli 6. Decembris, 1572. tibi omni ex parte bonus amicus, Gordes.

RESPONSE DES GENTILS-hommes, Capitaines, Bourgeois & autres estants en la ville de la Rochelle, aux commandemens qui leur ont esté faits soubs le nom du Roy de receuoir des garnisons.

NOus Gentils-hõmes, Capitaines, Bourgeois, & aultres estãs en ceste ville de la Rochelle.

respondons a vous Monsieur N. & aux commandemens que vous nous faites au nom de sa Maiesté, que nous ne pouuons recognoistre ce qu'on nous mande, & la criée que vous requerez que nous facions publier, proceder de sa Maiesté, & de cela appellons nous en tesmoign sa mesme M. ses lettres du. 22. &. 24. d'Aoust, sa signature, et la publicatiõ d'icelles : par lesquelles sa dite M. iette la coulpe de toute se trouble dernieremẽt aduenu, & de la truelle execution faite à Paris : sur ceux de la maison de Guyse, attestant qu'ils a eu assez affaire a soy tenir fort dans son chasteau de Louure auec les gens de sa garde. Et ne nous lairrons iamais persuader qu'vne si lasche entreprise & si barbare execution soit montée en l'entendement de sa M. tant s'en fault quelle ait esté faite de son exprez commandement, comme porte le papier que vous nous auez exhibé : ne qu'elle aye esté si mal conseillée de se couper soysme ses bras, & polluer les nopces sacrées de Madame sa soeur, de l'effusion de tant de sang noble & innocent, & d'iffamer d'vn si cruel acte la nation Francoise & le sang Royal, qui a tousiours emporté entre toutes les nations le tiltre de franc & courtois : ne qu'elle taille matiere aux historiens d'escrire vne histoire tragique, d'ont l'an-

tiquité

tiquité n'a iamais ouy parler d'vn pareille, et dõt la posterité ne pourra parler qu'auec horreur. Ains a esté conuée a Rome, & escloſe dans Paris par les autheurs de tous les troubles de la France. Et quoy que ce ſoit, nous ſommes preſts de maintenir, que de la bouche de ſa M. ne ſort point chaud & froid, blanc & noir: & qu'elle ne dit point maintenant d'vn, maintenant d'autre: comme elle feroit ſi le papier a nous exhibé procedoit d'icelle, proteſtant de vouloir garder ſon edict inuiolablement, puis le violant immediatement en declairant auoir commandé faire les maſſacres: proteſtant au parauant que c'eſt a ſon regret, par l'impetuoſité & violence de ceux de Guyſe, auſquelles elle n'a peu reſiſter promptement, comme elle deſiroit. Et ſur ceſte querelle, nous gentils-hommes, capitains, & autres qui vous faiſons c'eſt reſpõce ſommes preſts a combatre d'homme a homme, ou autrement, pour maintenir l'honneur de noſtre Roy contre tous ceux qui profanent ainſi les choſes ſacrées, & vilainement par tels propos & tiltres, en tant qu'en eux eſt, l'excellence de ſa Maieſté, & des genereux princes de ſon ſang. Ains nous pouuons coniecturer & eſtimons par les executions qui ſe font encores, tant en la dite Ville des Paris qu'ailleurs,

contre

contre tant de seigneurs, gentils-hommes, et autres hommes, femmes & enfants, mesme contre vn grãde nombre de ieunes escoliers (Le soustiẽ aprez dieu des royaumes & republiques a l'aduenir) & par plusieurs autres actes barbares et inhumains qui se cõmettent par tout. Nous estimons donques & iugeons par cela qu'on a forfait en la personne de sa Maiesté, & de Messieurs ses freres, & qui les Guysards se veulent emparer du royaume, come ils ont taschè des lõg temps. ou quoy que ce soit que sa M. est forcée par la puissance qu'ils ont prense & vsurpée par le moyẽ du mutin populaire de Paris. Car quãd à ce qu'ils disent que l'Amiral & ceux de la religion auoient cõspiré contre sa M. & les siens: ce sont des cõptes d'aussi bonne mise & qui ont autãt d'apparence cõme la procedure qu'ils ont tenue de iustice, cõmencant plustost par l'execution que par l'inquisition du faict. Mais il n'est ia besoing que le temps le desconure: car la chose se void a l'oeil, & se touche a la main & tous ceux de la Religion Romaine ausquels reste quelque goutte d'humanité le confessent, & baissent la teste de honte, maudissans & de coeur & de bouche les cruels executeurs de ceste maudite enterprise, et les meschans perturbateurs du repos public, qui n'ont peu

souffrir

ſouffrir non plus que par cy deuant, que ce pauure Royaume iouyſt long temps du bien de la paix, que le Roy ſeul, aprez Dieu, auoit faite ſagement, & obſeruer conformément : de laquelle on commencoit à ſentir le gouſt, au grand contentement de tous, hors mis les ennemis de paix, & les ennemis de ce Royaume, qui ſont les Guyſards. Au demeurant, quand ſa M. eſtant hors de leurs mains & pouuoir, declairera quelle eſt ſa volonté: nous taſcherons de luy obeyr en toutes choſes, ou nos conſciences, qui ſont dediées a Dieu ſeul, ne ſeront point bleſſées, & en ce cas quitterons pluſtoſt la terre que le ciel, noz maiſons caduques que les celeſtes manoirs. Mais iuſques a ceſte heure, le droict de nature, et le debuoir que nous auons a noſtre prince naturel, a la conſeruation de ſa couronne, & à la protection de noz vies, de noz femmes et enfans, nous commande de nous tenir ſur noz gardes, et ne nous mettre a la mercy de ceux qui ont receu la meſme ſanglante commiſſiõ de par les Guyſards, ſoubs le nom ſuppoſé du Roy. de nous traicter de meſmes que ceux qu'ils ont malheureuſement, proditoirement & inhumainment traictez au prez de ſa M. & comme ſoubs les aiſles & ſoubs les pans de ſa robbe, laquelle les traitres eſtrangers ont teinte du ſang vrayement Francois,

cois, ſans que ſa M. y ait peu remedier, ny empeſcher leurs malheureux deſſeings: tant s'en fault qu'elle nous peult maintenant deffendre de ſi loing, ſelon ſon intention: Laquelle nous eſtant cogneue, nous arme pour noſtre defenſe, & pour la conſeruation de noz vies, et des priuileges qu'il nous a octroyez, iuſques a ce qu'il ſoit en moyen de nous deffendre par ſoymeſme contre ſes ennemis & les noſtres.

NOBILIVM, CAPITANEORUM, CIVIUM, ALIORUMQ; QUI RUPELLA SUNT, AD MANDATUM DE PRÆSIDIARIIS MILITIBUS RECIPIENDIS REGIS NOMINE ALLATUM, RESPONSIO.

NOs nobiles, capitanei, ciues, atq; alij qui in hac vrbe Rupella ſumus, ad tua Do. legate poſtulata quæ nobis Regiæ Maieſtatis nomine propoſuiſti, ſic reſpondemus: nimirum non agnoſci à nobis mandatum illud quod in hac vrbe promulgari poſtulas, à Regia M. datum eſſe. cuius rei teſtem eãdem Maieſtatem imploramus, eiúſq; literas. 22. & 24. die menſis Auguſti ad nos datas: chirographum

phum pręterea & ipsius manum, nec nõ earundem literarum promulgationem in hac vrbe factam. Nam in illis literis Regia Maiestas omnẽ nouorum tumultuum & cædium Lutetiæ patratarum culpam in Guysianam familiã transfert, affirmans satis sibi negotij fuisse in arce sua Lupara, vbi sese continebat, præsidijs & corporis sui custodibus firmãda. Neq; vnquã adducemur ad credendum nefaria illa consilia & immania facinora in mentem Regi nostro venire potuisse, tantùm abest vt de ipsius mandato sint patrata, iuxta id scriptum quod nobis attulisti: aut eum adeò improbis vsum cõsiliarijs, vt sibi brachia amputaret, sacrásque sororis suæ nuptias tam multorum nobilium & innocẽtiũ sanguine cruentare voluisse, adeóq; immanis facinoris ignominia polluere, gentíque Francicæ & regiæ agnationi, quæ semper laudem humanitatis præter cæteras gentes tulit, maculã inurere, ac scriptoribus argumẽtũ historiæ tragicæ cõscribẽdæ præbere:

cui

cui ſimilis ex omnium ſeculorum memoria, nulla extat, quã denique neque legere neq; audire poſteri ſine horrore poterunt. Quin potius credimus eos qui auctores in Gallia ſuperiorum turbarum fuerũt, huic conſilio Romæ incubuiſſe atque fouiſſe, quod tandẽ Lutetiæ ab ijſdem ad exitum perductũ eſt. Sed quoquo modo ſe res habeat, negamus ex ore Regis calidum & frigidum exire: negamus illum modò hoc modò illud pronũciare, modò album modò nigrum, vnum idèmque affirmare. cuius rei, ſi iſtud ſcriptum ex ipſius auctoritate profectum eſſet, argui videretur: cùm antea nobis ſcripſerit, teſtatúſque ſit, ſibi in animo eſſe edictum ſuum pacificatorium ſanctiſsimè obſeruare, cædes & trucidationes illas, magno ſuo cum dolore, Guyſianorum violentia & impetu factas eſſe, quibus cùm ipſe reſiſtere vellet non potuit mox verò illud abroget, ſcribátq; cædes & trucidationes illas ſe iubente atq; imperante eſſe

factas,

factas. Atque hoc nomine, nos nobiles, capitanei, & alij qui tibi hoc reſponſum damus, denunciamus nos paratos eſſe, ſiue duello ſiue alio dimicandi genere, Regis noſtri dignitatem aduerſus eos omnes tueri, qui res ſacras polluunt, & huiuſmodi ſcriptis & ſermonibus, Regiæ maieſtatis dignatem & principum Regij ſanguinis exiſtimationem, quantum in ipſis eſt dedecorant, cuius rei argumento ſunt tot ſtrages, quæ etiã nunc Lutetiæ alijſq; multis in locis fiunt, tot nobilium, mulierum atque infantium, nec non iuuenum ſtudioſorum, qui ſecunda à Deo regnorum & rerum publicarum olim futura firmamenta ſunt, trucidationes, adde innumera, immania & barbara facinora quæ paſsim cõmittuntur. His igitur de cauſis arbitramur ac iudicamus Regiæ M. & illuſtriſsimis D D. eius fratribus vim eſſe illatam, & Guyſianos iam, vt ſæpius antea tentarunt, regnum velle occupare: denique Regiam maieſtatem ab eiſdem Guyſia-

nis qui tumultuosæ & rebellis plebis Parisiensis opera & auxilio fruuntur, cogi atque coarctari. Nam quod aiunt Amiralliũ & reformatæ religionis cultores, coniurationem aduersus Regiam M. huiúsq; consanguineos feciſſe, æque magnam meretur fidem ac æquitas illa laudem, qua (inquam) æquitate tum vſi ſunt, cùm coniurationis in ſimulatos prius ſupplicio affecerũt quàm in ipſorum factum inquirerent. eius enim rei veritas non à tempore, quod occulta patefacere dicitur, eſt expectãnda, quãdoquidẽ oculis cernitur atq; manibus tangitur. neque quiſquam eſt, ne Romanę quidẽ religionis cultor, in quo tantillũ modo humanitatis relideat, quin hęc eadẽ fateatur, pudoreq; ſuffuſus capite incedat inclinato, atque toto corde & pleno ore crudelibus nefarij illius cõſilij authoribus & opificib. malè & cupiat & dicat, qui pacem publicam perturbarunt, nec magis quàm antea ferre potuerunt, vt hoc miſerũ regnum diu ocio &

pace

pace frueretur, quã solus Rex. Deo primo authore, sapienter constituerat, parique modo sanctè obseruandam curabat: cuius fructum omnes magna cum voluptate gustare cœperant, solis pacis aduersarijs, atque huic regno inimicis, Guysianis scilicet, exceptis. Cæterùm vbi Regia M. ab ipsorũ manibus & potestate liberata, quænam sit sua voluntas declararit, conabimur huius mandatis atque imperijs obtẽperare omnibus in rebus, in quibus conscientia nostra, quæ soli Deo debetur, non violabitur. Aliàs malumus terrã potius quàm cœlum deserere, & caduca potius quàm cœlestia domicilia relinquere. Intereà obsequẽtes iuri naturæ & officio quod tum principi nostro, eiusque sceptro & coronæ, tum etiam nostræ, coniugum, ac liberorũ nostrorum saluti debemus, quoad poterimus, nobis cauebimus, neque nos in eorum potestatem dedemus, qui ficto nomine Regis, cruenta Guysianorum mandata ad nos deferunt: vt

eadem perfidia & crudelitate erga nos vtantur, qua nuper erga fratres nostros qui apud Regiam Maiestatem erant, vsi sunt: quos in ipsius sinu atque cõplexu & veluti sub alis vestimenti Regij trucidarunt, quod proditores extranei sanguine verè Francico cruẽtarunt, cùm Regia Maiestas se opponere & nefarios eorum conatus auertere non posset: tantùm abest vt iam nos tanto itineris interuallo à se disiunctos tueri ac cõseruari possit iuxta animi sententiam. quæ cùm nobis sit cognita, ad arma capienda nos incitat, vt saluti nostræ consulamus, & priuilegia quæ nobis concessit tueamur, donec nos aduersus suos & nostros hostes cõseruare possit.

FINIS.

Excussum Londini, in ædibus Henrici Bynnemanni Typographi.
Anno salutis humanæ
1573.